

INSTITUTIONES
PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ

AD MENTEM DIVI THOMÆ AC SUAREZII,

AUCTORE

P. JOSEPHO MENDIVE,

SOCIETATIS JESU SACERDOTE.

PSYCHOLOGIA

~~~~~  
SUPERIORUM FACULTATE.  
~~~~~



VALLISOLETI:
EX TYPOGRAPHIA VIDUÆ DE CUESTA ET FIL.

—————
MDCCLXXXVII.



1.—Psychologia idem sonat ac *tractatus de anima*; definiri autem potest *ea Philosophicæ pars, quæ præcipuas veritates ad naturam et proprietates animæ humanæ spectantes considerat*. Hinc ab Anatomia et Physiologia, quæ aliquam cum ea cognationem habent, apte distinguitur. Nam Anatomia circa structuram diversasque partes corporum organizatorum versatur, Physiologia de naturali harum partium usu functionibusque vitalibus disserit; Psychologia vero nobilissimam hominis partem seu animam sibi perpendendam assumit, ac de corpore non agit nisi quatenus ad animæ cognitionem conducit.

2.—Porro anima humana, intellectualis cum sit et a materialium rerum corruptibilitate semota, spiritualitate sua angelicam naturam æmulatur. Quo fit, ut scientia illam pro objecto habens ab omni alia circa hominem versante discriminetur et nobilitate quam maxima fulgeat.

3.—Verum scientia hæc quantum habet nobilitatis, tantum in se difficultatis includit. Reflexione namque continua indiget ejus studium, quæ non sine magna animi contentione ab homine exercetur; cum objecta mundi externi vehementer ad se illum rapiant et non sinant in reconditas animi sui latebras attentionem suam convertere. Tamen difficultas hæc magna saltem ex parte victa jam dicenda est: philosophi enim omnium temporum ac præsertim Scholastici indefessum laborem in scientia psychologica comparanda posuerunt, quorum demonstrationes nobis magno usui esse poterunt. Scholasticorum sapientiam in

re psychologica non minus quam in alia quavis metaphysica nemo non miretur. Illa nos in hoc nostro studio præcipue ducemur: Scholasticos namque iis qui post Baconem et Cartesium venerunt, psychologos longe profundiores fuisse ac sapientiores firmissima nostra persuasio est.

4.—Ut vero ordinem aliquem in nostris investigationibus teneamus, in primis animæ existentiam ostendemus; deinde vero de ejus substantialitate, activitate, simplicitate, spiritualitate atque immortalitate agemus. Quibus pertractatis, essentiam animæ metaphysicam declarabimus, de ejus tum unione cum corpore, tum etiam origine et antiquitate disseremus, ac denique quæstionem de origine idearum humanarum ultimo loco ventilabimus.

CAPUT PRIMUM.

De existentia animæ humanæ.

Ante quam animæ naturam ac proprietates perpendimus, ejus existentia probanda est, ne quæstionem instituire videamur de subjecto non supponente. Sint igitur sequentes propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Existentia animæ humanæ certa atque evidens est.

5.—*Demonst.*—Evidens est existere in nobis principium aliquod activum, quo sentimus, intelligimus ac volumus: actiones enim sentiendi, intelligendi et volendi, quibus omnes afficimur, hoc nobis aperte manifestant. Atqui nomine animæ humanæ intelligimus *principium illud, quo sentimus, intelligimus, volumus, et ceteras operationes vitæ exercemus.* Ergo...

PROPOSITIO SECUNDA.

Existentia animæ humanæ ipsa ejus negatione implicite affirmatur.

6.—*Demonst.*—Qui animæ humanæ existentiam negat, eo ipso implicite affirmat se cogitare; siquidem negatio, utpote judicium, quædam cogitatio est. Sed qui affirmat se cogitare, eo ipso asserit se habere in se aliquod principium quo cogitet; quod quidem principium *anima* vocatur. Ergo...

CAPUT II.

De animæ humanæ substantialitate.

7.—Inter antiquos fuerunt aliqui philosophi, qui essentiam animæ humanæ in harmonia quadam et convenienti qualitatum materialium dispositione reponendam putarent (1). Quam quidem sententiam hac etiam nostra ætate tuentur omnes Materialistæ, quibus anima nostra nihil aliud est quam complexus quidam virium molecularium in corpore humano ex peculiari organismi dispositione resultans atque in cerebro scintillationes phosphoreas *cogitationum* nomine designatas sponte naturæ producens. Huic doctrinæ, quæ animam humanam *inter mera materiæ accidentia* recenset, ex adverso opponitur alia prorsus contraria omnium Platonicorum; juxta quam anima humana, non modo substantia, sed vera etiam persona est; ac proinde τῷ εἶρω nomine insigniri debet. Inter has autem falsas

(1) Cfr. in hanc rem S. Thom. *cont. gent.* lib. 2, cc. 62-65; item Conimbricenses, *in 2 de anima*, c. 1, q. 1, art. 3.

atque extreme oppositas sententias vera ac media procedit, quam nos hic breviter sequentibus propositionibus defendendam suscipimus.

PROPOSITIO PRIMA.

Anima humana vera substantia est, incompleta tamen et ad constituendam partem humani compositi natura sua ordinata.

8.—*Prob. 1.^a p.*—1.^o Anima humana non est principium quodlibet operationum nostrarum vitalium, sed *primum*: ratio enim ultima propter quam actus omnes sentiendi, intelligendi et volendi exercemus, ex eo desumitur quod anima hac informamur. Sed primum principium operationum alicujus entis necessario debet esse quid substantiale, cum ab ejus essentia et natura realiter non distinguatur (O. 362). Ergo... 2.^o In tantum anima humana posset confundi cum complexu et harmonia virium organicarum nostri corporis, in quantum ex peculiari harum virium dispositione possent in illo naturaliter resultare actus sentiendi, intelligendi et volendi. Atqui vires organicæ, quomodocumque disponantur, impares prorsus sunt ad producendos hos actus, ut infra ostendetur; et ad ipsas operationes vitæ vegetativæ, ut ex probatis in Cosmologia constat (C. 359). Ergo... 3.^o Anima regit corpus et repugnat passionibus, eas refrænans et rationi subdens. Ergo est quid superius corpore et quacumque qualitatibus corporearum harmonia perfectius: harmonia enim hæc incapax prorsus est passionum frænandi.

9.—*Prob. 2.^a p.*—Anima humana natura sua intrinseca est *pars* et *complementum humani compositi*; quod non merum aggregatum sed verum ens est, corpore

et anima constans substantialiter unitis, ut ex dicendis patebit. Sed quod natura sua est pars et principium substantiæ alicujus completæ, inter substantias incompletas et natura sua ordinatas ad unionem substantialem cum aliis reponi debet (O. 356). Ergo.....

Solvuntur difficultates.

10.—Obj. I. Ex diversis complexionibus diversæ in hominibus passiones resultant: unde cholericam complexionem habentes facile irascuntur, melancholici autem facile tristantur. Sed complexionones humanæ in mera qualitatuum materialium dispositione consistunt. Ergo.....

Resp.—*Dist. maj.*—Ex diversis complexionibus diversæ in hominibus passiones resultant *dispositive et materialiter*, *Conc.*: *constitutive et formaliter*, *Neg. Et conc. min.*, *neg. cons. sub dist. data*. Complexio seu temperamentum qualitatuum materialium disponit quidem hominem, ut in eo exsurgant quidam motus spontanei, qui *passiones* dicuntur; motus autem ipsi proprie a principio altiori fluunt, cum vitales sint et ex cognitione oriantur (1).

11.—Obj. II. Filius assimilatur patri etiam in qualitatibus suis individualibus. Hoc autem aperte significat, hunc complexionem sui corporis in illum per generationem transfundere, et cum complexione etiam passiones atque ipsam animam. Ergo anima in homine nihil aliud est quam determinata quædam virium suarum organicarum dispositio.

Resp.—*Conc. maj. et dist. 2.^{am} p. min.*—Hoc significat patrem per generationem in filium transfundere *dispositive et materialiter* passiones proprii corporis

(1) * Cfr. S. Thom. *cont. gent.* lib. 2, cap. 63.

Conc.: *constitutive et formaliter*, Neg. Cum pater filium non generet nisi per decisionem materiæ ad suam substantiam pertinentis, pronum est ut eam in illum transfundat eadem sui corporis complexione affectam. Exinde autem naturaliter fit, ut filius easdem patris passiones nanciscatur, licet distincta numero anima donetur: nam complexio corporalis in illo eadem est et ad idem passionum genus consequenter eum disponit. Causa autem principalis passionum tam in filio quam in patre est anima, quæ omnem qualitatum materialium perfectionem longissime superat. Hinc *nego prorsus tertiam partem minoris*, in qua dicitur pater per generationem suam ipsius animam in filium transfundere. Anima enim in utroque spiritualis est et a Deo immediate creata, non autem per generationem transmissa, ut suo loco ostendetur.

12.—Obj. III. Anima eisdem, quibus corpus, mutationibus subjicitur. Nam: *a)* crescente ac senescente corpore, et ipsa crescit ac senescit; *b)* dum languet aut viget corpus, ipsa quoque languet aut viget; *c)* in evolutione omnium facultatum suarum pendere cernitur a dispositionibus corporis; *d)* perturbatis functionibus organicis, ejus etiam operationes intellectuales perturbantur; *e)* cum corporis organizatione apparet et cum illius dissolutione disparet; *f)* denique cum corpore semper movetur. Ergo signum est eam in certa quadam virium organicarum dispositione consistere.

Resp.—*Dist. ant.*—Anima eisdem, quibus corpus, mutationibus subjicitur, *non semper nec eodem modo*, Conc.: *semper et eodem modo*, Neg. Ut optime ait P. Tongiorgi, «sæpe corpore crescente, animi facultates non perficiuntur: in juventute, cum corpus est maxime robustum, vis mentis et judicii maturitas minor est quam in senectute, quum corpus fit debile et languescit: quæ corporis evolutioni atque incremento prosunt, sæpe animo nocent; itemque quæ mentem faciunt validiorem, sæpe corpus debilitant: sæpe animus ad-

versatur quæ organis corporeis grata accidunt: corpore coacto ad aliquid agendum, animus ad volendum non cogitur: absciso v. gr. *brachio*, animæ pars non abscinditur, etc. (1).» Porro hæc et alia hujusmodi, quæ afferri possent, satis aperte indicant animam humanam non iisdem prorsus, quibus corpus, mutationibus affici, nec eodem modo. Sed veniamus ad singulas rationes pro antecedente allatas.

Ad rat. 1.^{am} *Dist.* Crescente ac senescente corpore, anima quoque crescit ac senescit *diverso modo, et quidem ratione unionis quam habet cum corpore, ut ejus forma substantialis, Conc.: eodem modo, et quia cum viribus organicis identificatur*, Neg. Anima, dum corpus crescit, augmentum et ipsa virium quoddam accipit acquisitione habituum, quos ipsa sibi producit exercitio suarum facultatum. Proinde crescit; sed non eodem modo ac corpus, nec propterea quod cum viribus organicis identificetur. Pariter, dum corpus senescit, minuitur in homine fervor phantasie et facultatum sensitivarum, quæ organicæ in eo etiam sunt ac proinde intrinsece dependent a dispositionibus materiæ: unde vires animæ ex hac parte quodam modo minuuntur. Sed totum hoc ex eo venit, quod anima humana natura sua est forma corporis, et unum ens completum cum illo efficit unionem suam substantialem; non autem ex identificatione ejusdem cum viribus organicis quomodocumque modificatis.

Ad rat. 2.^{am} *eadem esto responsio*. Non semper nec eodem modo languet aut viget animus, quando languet aut viget corpus. Quando vero hoc accidit, non ex eo oritur quod anima aut corpus sit, aut vis aliqua ex corporeis qualitibus resultans: sed totum hoc debetur naturali animæ conditioni; quæ, cum forma sit substantialis corporis humani, est quodammodo materiæ immersa, indigetque corporeis organis ad omnes operationes vitæ.

Ad rat. 3.^{am} *Dist.* Pendere cernitur, etc.; *quia forma est substantialis corporis humani et unum ens cum illo efformat*, Conc.: *quia ipsa in se est corpus aut ali-*

(1) Tongiorgi, *Psycholog.* lib. 2, cap. 1, art. 4, n. 113.

quid ex virium corporearum dispositione resultans, Neg. Cum anima sit forma substantialis corporis humani, omnes ejus operationes aliquo modo a corpore dependere debent; quia omnes ad compositum humanum spectant. Hæc dependentia relate ad operationes vitæ vegetativæ et sensitivæ intrinseca atque directa est, quia vis illarum effectrix in organis est, et proinde sine concursu organorum operari nequit. Operationes deinde vitæ intellectualis, cum in se spirituales sint et sine organis corporeis perficiantur, intrinsece ac directe a dispositionibus materiæ non pendent: at sine præviis actibus phantasiæ non fiunt, ac proinde *indirecte ac extrinsece* veram ab illis dependentiam habent. Omnes tamen vim materiæ longe superant et principium postulunt ordinis altioris, quod supra materiam sit: consequenter omnes animæ substantialitatem demonstrant.

Ad rat. 4.^{am} *eadem esto responsio.* Perturbatio enim prædicta ex dependentia oritur, quam omnes animæ actiones in statu suo unionis ab organis habent: quæ quidem non impedit, quominus anima nostra sit vera substantia, et quidem spiritualis; quemadmodum operationes ejus intellectuales aperte ostendunt.

Ad rat. 5.^{am} *respondeo idem quod ad tertiam.* Anima enim humana, quia natura sua est forma substantialis corporis, tunc debet a Deo creari, cum corpori infundenda est; et tunc debet corpori valedicere, cum hoc ad illius informationem non amplius aptum remanet.

Ad rat. 6.^{am} *idem dicendum.* Quia enim anima forma est corporis et unum cum eo ens constituit; quando corpus ab aliquo agente extrinseco movetur, et ipsa per accidens moveri debet. At ipsa habet in se vim movendi corpus in omnem partem: in quo aperte ostendit se esse veram substantiam, cum hoc ex sola organorum existentia oriri nequeat.

13.—Obj. IV. Omnes actus animæ indigent influxu nervorum, quorum activitas per motum localem exercetur. Nihil ergo opus est præter horum nervorum vim aliam specialem et distinctam inducere, cum sine ea nihil agere valeat. (Ita materialista de

Beaunis in opere *Nouveaux élém. de Physiol. hum.*—Prolégom. pág. 12).

Resp. 1.^a—*Dist. ant.*—Omnes actus animæ influxu nervorum indigent *directe vel indirecte*, Conc.; *directe*, Neg. Operationes enim intellectuales sine organo corporeo fiunt.

Resp. 2.^a—*Trans. ant., neg. cons.*—Motus enim localis organorum pura conditio est ad operationes proprias vitæ sensitivæ et intellectualis; quæ minime in hocce motu consistunt, sed ad alium ordinem longe perfectionem pertinent.

14.—Obj. V. Si anima humana sit substantia a materia distincta, idem dicendum erit de anima belluina; quoniam belluæ etiam sentiunt et appetunt non secus ac homines. Ast tunc quid erunt animæ polyporum et hydrarum, quæ divisione non pereunt; et quod genus originis et finis habebunt? Ergo satius est omnium animarum existentiam negare et solos motus locales materiæ admittere. (Ita idem de Beaunis loco citato.

Resp.—*Conc. ant. et neg. cons.*—Polypis quoque atque hydris anima inest a materia distincta, neque ulla exinde contra spiritualitatem animæ nostræ difficultas exoritur. Nam animæ polyporum et hydrarum, sicut et omnium belluarum, quia a materia intrinsece dependent tum in operando tum in essendo, generabiles et corruptibiles existunt (C. 396): animæ autem humanæ contrarium accidit, ut infra ostendetur.

15.—Obj. VI. Anima humana ut mera cerebri functio habenda est. Nam: *a*) posito cerebro, dantur in homine cogitationes: *b*) ablato cerebro, cogitationes disparent: *c*) variato aut modificato cerebro, cogitationes etiam variantur ac diversæ fiunt. Ergo... (Ita materialista Ferrière in suo opere «L'âme est la fonction du cerveau,» vol. II, pág. 180-181.—Edit. Paris. 1883).

Resp.—*Neg. antec.*—Ad prob. *Dist. Et hæc omnia accidunt, quia cerebrum aliquo modo in omnes animæ*

actiones concurrunt in hoc statu unionis animæ cum corpore, Conc.: hæc ideo eveniunt, quia cerebrum est unica causa physica omnium cogitationum humanarum, intelligentia et ratione non exceptis. Neg. In actiones sensuum cerebrum physice influit; in actiones vero intellectus et rationis, dum anima corpori unita manet, per modum præparationis et dispositionis præviæ concurrunt, quoniam intellectio in hoc statu unionis sine prævia operatione phantasie non fit, quæ facultas organica est et organum suum habet in cerebro. Proinde ex argumento nihil conficitur contra substantialitatem animæ, sed solum ostenditur naturalis ejus dependentia a dispositionibus cerebri ad operandum in præsentem vitam.

PROPOSITIO SECUNDA.

Anima humana non est proprie persona, sed pars tantum illius principalis.

16.—*Prob. 1.^a p.*—1.º Persona est substantia quædam rationalis completa, sui juris, et ad unionem cum altera non ordinata (O. 363). Atqui anima humana, licet spiritualis et a corpore independens in existendo, est tamen substantia incompleta et naturaliter ordinata ad unionem cum illo; cum sit ejus forma substantialis. Ergo... 2.º Persona humana est illud, quod per τὸ ἐγὼ significare intendimus. Sed per τὸ ἐγὼ significamus, non quidem animam, sed compositum substantiale animæ et corporis: sicut enim dicimus: *Ego sentio, ego intelligo, ego volo*, ita etiam: *Ego pondero, ego corpore et anima consto*; quæ non nisi de composito substantiali dicta intelligi queunt (1). Ergo...

17.—*Prob. 2.^a p.*—Est evidens per se. Nam ab anima habet compositum humanum ut sit natura quæ-

(1) Cfr. S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 29, art. 1, ad 1.^{um}

dam rationalis, et proinde ut rationem suppositi rationalis seu personæ induat.

Solvuntur difficultates.

18.—Obj. I. Anima separata a corpore subsistit in se; cum non sit accidens, sed substantia: imo, etiam corpori unita; quia, dum est in eo, existit per se et non sustentata ab illo. Ergo est vera persona; quia est rationalis naturæ individua substantia.

Resp.—*Dist ant.*—Subsistit in se, *ut substantia incompleta*, Conc.: *ut substantia completa*, Neg. *Et sub data dist. neg. cons.* Ad rationem personæ non sufficit ut res sit natura rationalis et per se subsistens; sed requiritur ut hæc res sit natura rationalis completa: quod quidem non competit animæ humanæ, ut probatum est (1).

19.—Obj. II. Si anima humana non est persona, non poterit separata a corpore dicere: *Ego*. Atqui hoc falsum est. Ergo...

Resp.—*Neg. maj.*—Anima separata a corpore poterit quidem dicere: *Ego*. Sed illud *ego* semper deficiet a ratione propria personæ; cum indicet *partem* tantum quamdam personæ humanæ, licet principalem: unde non habebit nisi rationem *semipersonæ*.

(1) Cfr. Suarez, *de anima* lib. 6, cap. 1.



CAPUT III.

De animæ humanæ activitate.

20.—Postquam animi substantialitatem ostendimus, nunc activitas ejusdem consideranda est, ut per ejus effectus ad intimam suæ naturæ cognitionem deveniamus. Porro *activitatis* nomine virtutes animæ operativas, quæ etiam *potentiæ*, *vires* et *facultates* dicuntur, intelligimus: quas quidem animæ inesse ex ipsa ejus definitione constat, cum animam dicamus principium illud, quo sentimus, intelligimus, volumus, et ceteras vitæ operationes exercemus. De hac animæ activitate, quoniam multam segetem nobis præbet, separatis articulis nunc agendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

De diversis potentiæ classibus, quibus anima gaudet.

21.—Ut diversa potentiæ genera, quibus anima gaudet, enumerari valeant, ad actiones ejus vitales attendere oportet: ex actibus enim specificantur potentiæ, sicut actus ex objectis ipsorum formalibus (1). Actiones autem eæ ad triplicem classem reducuntur. *Prima* continet sub se operationes vitæ vegetativæ, quæ nobis cum plantis communes sunt et inconscierenter ab anima exercentur: *secunda* perceptiones sensibiles, quæ nobis cum brutis conveniunt, atque objecta materialia et concreta sensibilibus in animo repræsentant: *tertia* denique perceptiones intellectuales, quæ nostræ naturæ sunt propriæ, quæque objecta quævis, sive spiritualia sive materialia, sub forma quadam nobis exhibent universali et a conditionibus individuantibus

(1) Cfr. S. Thom., *Qq. disput.*—Quæst. unic. *de anima*, art. 13; item Suarez, *de anima*, lib. 2, cap. 2.

abstracta. Hinc potentiae animae triplicis generis resultant, *naturales* scilicet seu *vegetativæ*, *sensitivæ* ac *rationales* seu *intellectivæ*.

Potentiis sensitivis et intellectivis aliæ quaedam *appetitivæ* et *locomotrices* correspondent. Nam, ut verbis Aquinatis utamur, «sicut per formam naturalem res habet inclinationem ad aliquid, et habet motum aut actionem ad consequendum id, ad quod inclinatur; ita ad formam etiam sensibilem vel intelligibilem sequitur inclinatio ad rem sive per sensum sive per intellectum comprehensam, quæ quidem pertinet ad potentiam appetitivam; et iterum oportet consequenter esse motum aliquem, per quem perveniatur ad rem desideratam, et hoc pertinet ad potentiam motivam (1)».

22. Hinc quinque genera potentiarum in anima humana distinguenda sunt, *naturales*, scilicet, *sensitivæ*, *intellectivæ*, *appetitivæ* et *locomotrices*, quarum unaquæque varias species sub se comprehendit. Sub naturalibus *generativa*, *augmentativa* et *nutritiva* continentur, de quibus jam in Cosmologia loquuti sumus (C. 372). Ad sensitivas sensus tam externi quam interni pertinent, quorum notionem aliquam in Logica dedimus (L. 406, 423-427), quique, *visus*, *auditus*, *olfactus*, *gustus*, *tactus*, *sensus communis*, *imaginatio*, *æstimativa* et *rememorativa* nuncupantur. Ad intellectivas *intellectus*, *ratio*, *memoria intellectualis* et *conscientia* spectant: quorum primo conceptus universales et iudicia immediata efformamus, secunda vero discursiva iudicia emittimus, tertia præteritum cum præsentem sub idea generali temporis comparamus, quarta denique cogitationes a nobis elicitas ut noscimus agnoscimus. Appetitivæ sunt *appetitus sensitivus*, qui cognitionem sensitivam sequitur et *sensualitas* vocari solet; atque *appetitus rationalis*, qui per cognitionem intellectualem dirigitur et *voluntas* appella-

(1) S. Thom. *loc. cit.*

tur. Porro utriusque appetitus actiones *prosecutiuae* sunt vel *aversatiuae*, secundum quod per eas bonum aliquod, sive verum, sive apparens, prosequimur, vel malum aliquod fugimus: unde et *prosecutiones* atque *aversationes* communiter dicuntur. Denique vis motiva, ut optime ait S. Thomas, «cum ad motum ordinetur, non diversificatur nisi secundum diversitatem motuum, qui vel competunt diversis animalibus, quorum quaedam sunt reptilia, quaedam volatilia, quaedam gressibilia, quaedam alio modo mobilia, vel etiam secundum diversas partes ejusdem animalis (1).» Unde et *naturalem* et *animalem* sub se comprehendit: quarum prima motus *naturales* cordis, pulmonum, sanguinis etc., efficimus, secunda vero motus *progressivos* pedum, manuum, etc. animalium proprios edimus.

ARTICULUS II.

De potentiis animæ humanæ cum substantia ejusdem comparatis.

23.—Comparatio potentiarum animæ cum ejus substantia tres nobis quæstiones considerandas offert, quarum singulæ separatam sibi tractationem postulant. Prima est: *Qua ratione substantia animæ ab ejus potentiis distinguatur*. Secunda: *Quomodo emanent a substantia vel essentia*. Tertia denique: *Quomodo anima per illas operetur*.

§ I. QUA RATIONE POTENTIÆ ANIMÆ AB EJUS SUBSTANTIA DISTINGUANTUR.

24.—Hac in re tres inveniuntur opiniones apud auctores. *Prima* est ponentium cum Durando distinctionem *realem* inter substantiam animæ atque ejus potentias tum sensitivas tum

(1) S. Thom. *loc. cit.*

intellectivas, *logicam* vero inter ipsam et potentias naturales. *Secunda* est dicentium cum Scoto, Gabriele et aliis Nominalibus omnes potentias, et præsertim intellectivas, non distingui realiter ab anima: quam quidem quamplurimi philosophi sequuti sunt. *Tertia* denique est asserentium cum D. Thoma, Suarezio et aliis gravissimis Scholasticis omnes potentias realiter ab animæ substantia distingui.

25.—De iis opinionibus scribit P. Valentia: «Quælibet autem sententia ex his est probabilis, neque aliqua illarum manifeste demonstrari potest, neque magni etiam refert scire penitus quænam sit probabilior (1)». Atque in eundem modum loquitur Suarez, addens operosum et inutile sibi videri multum immorari in defendendis rationibus metaphysicis et a priori pro distinctione reali a D. Thoma adductis; «quia revera illæ non sunt demonstrationes, neque est cur a prudenti philosopho in re tam abdita expetantur (2)». Sanseverino tamen aliter opinatur, sententiamque distinctionem realem negantem pantheisticam censet (3): cui opinioni assentiuntur alii plures hac nostra ætate parum considerate, ut opinor; cum gravissimi auctores nihil tale de ea cogitaverint. Ego sane, qui ab hujusmodi exaggerationibus quam maxime abhorreo, sententiam Aquinatis probabilioram quidem censeo, contrariam autem liberam prorsus a macula pantheismi judico. Quod ut ostendam, sequentes propositiones demonstrare aggrediar.

PROPOSITIO PRIMA.

Negatio distinctionis realis inter potentias animæ et ejus substantiam minime ad pantheismum ducere dicenda est.

26.—*Demonst.*—Ex negatione hujus distinctionis minime sequitur quod Sanseverino cum suis affir-

(1) Valentia, in 1. p. disp. 6, q. 3, punct 2.

(2) Suarez, *Metaphys.*, disp. 18, sect. 3. n. 18.

(3) Sanseverino, *Philosoph, christ. cum anti. et nov. compar.*—*Dynamil.* pars gener. cap. 1, art. 1.

mat, animam scilicet humanam esse actum purissimum omni capacitate receptiva destitutum. Ergo negatio hæc minime ducit ad pantheismum, quia animam relinquit omnino distinctam a divina natura.

Prob. ant.—1.º Cum negatione prædicta adhuc remanet anima creatura, dependens a Deo in essendo et operando atque in hoc secundo etiam ab objectis externis. Ergo... 2.º Cum negatione hac integra remanet realis distinctio inter actum essendi animæ substantialem et actus operandi accidentales. Nam ad hoc sufficit virtualis distinctio inter essentiam, quatenus talem, et ipsam essentiam, quatenus virtutem operativam: unde in Deo, in quo non datur distinctio realis inter substantiam et actus ejus intellectivos aut volitivos, minime admittitur distinctio virtualis inter actum essendi et actum operandi. Ergo... 3.º Cum negatione prædicta non solum habere poterit anima multitudinem indefinitam actuum accidentalium et a substantiali realiter distinctorum, sed etiam multitudo hæc erit ei connaturalis: nam negatio illa semper relinquit animam in suo esse creaturæ limitato et perfectibili. Ergo... 4.º Quamvis supponamus animam semper cogitantem eodem prorsus actu immediate manante ab ejus substantia, adhuc infinite distabit a perfectione divina: quia hic actus semper fluet *contingenter* a substantia, sicut ipsa substantia producta est contingenter a Deo. Ergo...

Nec vero dicas actum immediate manantem ab essentia fore essentialem. Nam ita arguendo incurres in vitium, quod jam in Ontologia reprobavimus ac disjecimus loquendo de distinctione inter essentiam et existentiam creaturæ (O. 32). Imo prædictus actus ne *physice* quidem *essentialis* vocari posset, sed tantummodo naturalis: quia anima non haberet nisi

naturalem inclinationem ad illum producendum adjuncta concursu Dei libere præstito. Ergo...

PROPOSITIO SECUNDA.

Sententia statuens distinctionem realem inter potentias animæ et ejus substantiam minime certa dici potest.

27.—*Demonst.*—Nullum ex argumentis, quæ in ejus favorem adducuntur, est vere demonstrativum. Ergo..., Antecedens non melius probare possumus quam perpendendo singula hæc argumenta et ostendendo nulli ex eis inesse vim vere demonstrativam. Porro præcipua sunt tria, quæ ab Angelico Doctore afferuntur, et ita se habent: 1.º Diversitas actuum exigit diversitatem potentiarum, cum tota potentiæ essentia sita sit in relatione ejus transcendentali ad suum actum. Sed in omni creatura actus essentiæ, seu existentia, est realiter distinctus ab actu potentiæ, seu actione. Ergo... (1) 2.º Potentia et actus ad idem genus pertinent; siquidem immediate dividunt ens, sub quo immediate continentur. Atqui in solo Deo actus productivus pertinet ad genus substantiæ, quia in solo Deo identificatur cum esse illius substantiali. Ergo in omni creatura potentia operativa pertinet ad genus accidentium, ac proinde realiter distinguitur a substantia (2). 3.º Si substantia animæ realiter identificaretur cum suis potentiis, eæ forent semper in actu pleno et completo; nam essentia animæ est actus completus ad nihil aliud ordinatus. Atqui potentiæ animæ non semper sunt in actu pleno et completo, cum sæpe transeant ex potentia ad actum. Ergo... (3).

28.—Jam vero argumenta hæc vi demonstrativa carere imprimis fatetur aperte Durandus, licet distinctionem realem inter substantiam animæ atque ejus potentias tum sensitivas tum intellectivas cum reliquis Dominicanis propugnans. Sic enim

(1) S. Thom., *Summ. Theol.*, 1. p. q. 54, art. 3.

(2) Id. *ibid.* q. 77, art. 1.

(3) Id. *loc. cit.*

scribit: «Hæc autem opinio quamvis communius teneatur quam prima, rationes tamen adductæ pro ea sunt defectuosæ valde, quod patet discurrendo per singulas (1)». Et postea, singulis late refutatis, ad alias recurrit a se excogitatas, quas meliores reputat. Deinde infirma prorsus esse et rem minime demonstrare facile ostendi potest, ad singula eorum respondendo, quod fecerunt Durandus, Toletus, Valentia et alii gravissimi auctores; quamvis pro sententia D. Thomæ starent.

29.—*a)* Et quidem ad primum responderi in primis potest cum Cardinali Toletto, «semper minorem distinctionem esse in principiis quam in principiatis: ac proinde, sicut objecta minorem habent distinctionem quam potentiæ, ita potentias minus distingui quam actus: unde sequitur non omnem diversitatem actuum diversitatem potentiæ postulare (2)». *b)* Deinde dici potest cum eodem Cardinali: «Illa propositio: potentiæ distinguuntur per actus, quæ est communis Metaphysicorum et Physicorum, non est intelligenda de modo distinctionis, scilicet realis vel rationis; sed de specie distinctionis, scilicet specificæ vel genericæ. Unde ratio utitur æquivocatione maxîma in suo processu (3)». *c)* Præterea responderi posset cum Suarezio productionem actus per potentiam cum substantia realiter identificatam non clare exigere de se infinitam perfectionem in genere entis aut substantiæ, quia potentia illa forte potest esse aliunde multis modis limitata (4). *d)* Denique respondere possumus cum P. Hurtado diversitatem actuum non semper arguere diversitatem potentiarum; «tum quia potentiæ vitales sunt multi actus primi, et tamen sunt ejusdem animi; tum quia simplex apprehensio et iudicium sunt etiam multi actus, et sunt ejusdem intellectus: item lux et calor sunt effectus unius lucis (5)».

30.—Ad secundum *a)* respondere possumus per hæc Durandi verba: «Secunda ratio procedit in æquivoco de potentia et actu. Potentia enim et actus qui dividunt ens et

(1) Durandus, in 1. *Sentent.*, dist. 3, q. 2, n. 31.

(2) Toletus, in 1. *p. Summ. Theol. S. Thomæ*, q. 54, art. 3.

(3) Id. *ibid.*

(4) Suarez, *Metaphys.* disp. 18, sect. 3, n. 18.

(5) Hurtado, *de anima*, disp. 4, sect. 1, § 8.

quodlibet genus entis, et potentia et actus de quibus nunc loquimur æquivoce dicuntur. Cum enim dicimus ens et quodlibet genus entis dividi per actum et potentiam, non importatur aliquid realiter aliud per unum quam per aliud, sed importatur idem sub alio modo essendi; sicut dicimus hominem in actu et hominem in potentia, albedinem in actu et albedinem in potentia, et sic de rebus aliorum generum; et sic actus et potentia sunt in eodem prædicamento et in eodem genere proximo, nec non in eadem specie, sicut homo in actu et homo in potentia sunt in prædicamento substantiæ, et albedo in actu et albedo in potentia sunt in prædicamento qualitatis, et sic de aliis. Potentia autem de qua nunc loquimur, est principium activum vel passivum, et actus est operatio producta vel recepta. Et hoc modo potentia et actus non dividunt ens, nec quodlibet genus entis. Non enim omne ens est operatio vel immediatum principium operationis, etiam secundum istos: dicunt enim quod in creaturis substantia nec est operatio, nec immediatum principium operationis. Et per eandem rationem non oportet quod sint in eodem prædicamento; quia pari ratione essent in eodem genere proximo et in eadem specie: quod nullus admittit (1).
b) Item dicere possumus cum P. Valentia «potentiam, licet formaliter non sit substantia, identice tamen posse esse substantiam; sicut et aliqua quædam accidentia putantur quoque a plerisque sectatoribus D. Thomæ, realiter et identice esse idem quod substantia, ut relatio, motus, etc. (2)». d) Denique respondere possumus cum P. Hurtado, ex eo quod nulla substantia creata sit sua operatio, non sequi idem accidere relate ad suas potentias; «tum quia nulla anima est productio suarum potentialiarum, et tamen est productiva earundem, etiam in sententia D. Thomæ; tum quia identificari cum operatione est maxima actualitas non conveniens creaturis; at ratio potentiæ multum habet potentialitatis in creaturis, quod cernitur in ipsis potentiis; quæ sunt idem secumipsis, secus cum suis actionibus (3)».

(1) Durandiis, in 1 Sentent. dist. 3, q. 2. n. 35.

(2) Valentia, in 1 p. disp. 6, q. 3, punct. 2.

(3) Hurtado, de anima, disp. 4, sect. 1, § 9.

31.—*a*) Ad tertium denique responderi potest cum P. Valentia, «quod quamvis formaliter anima, ut est forma, sit actus et non potentia ordinata ad operationem; materialiter tamen et identice habet, quod simul sit potentia ad operationem, qua interdum careat (1)». *b*) Item possumus urgere hanc rationem Durandi: «Sicut impossibile est corpus habere albedinem et non esse album; sic impossibile est animal habere animam et non esse animatum seu vivum, quia idem sunt. Sed potentia animæ, dato quod sit eadem cum essentia, non est hoc modo formale principium operandi, quod habere ipsam sit esse operans; sed est vel solum principium passivum, vel si sit aliquo modo principium activum, non est totale sed parziale, ut dictum est. Illud enim quod est principium operationis solummodo passive, non ponit operationem, nisi concurrat principium activum sufficiens et totale; propter quod essentia animæ, dato quod sit idipsum quod potentia sua, non necessario reddit suum subiectum actu et semper operans; sed reddit ipsum semper actu vivum. Nec obstat quod anima per essentiam suam est actus; quia illud quod est actus et forma respectu unius, est potentia activa vel passiva respectu alterius: sicut quantitas, quæ est actus et forma saltem accidentalis corporis, est potentia receptiva coloris (2)». Eandem Durandi responsionem adhibet P. Losada in secunda parte sui *Cursus philos.* tract. 2. dip. 6 cap. 2, n. 21.

PROPOSITIO TERTIA.

Probabilius dicendum videtur potentias animæ realiter distinguere ab ejus substantia.

Ita Suarez, *de anima*, lib. 2, cap. 1, n. 5.; cujus rationibus utemur.

32.—*Prob.*—1.º Substantia creaturæ, utpote limitata, non videtur esse posse immediatum principium

(1) Valentia, *loc. cit.*

(2) Durandus, *loc. cit.*, n. 36.

tam multarum actionum, quas in viventibus experimur: ad hoc enim magna simplicitas et perfectio requiritur. Ergo dicendum videtur actiones has ab omni creatura exerceri ratione quarundam virium ab illa realiter distinctarum atque in ea tamquam proprio subjecto existentium. 2.^o Inter essentiam et potentiam Dei datur distinctio rationis ratiocinatae; quia ipsa essentia divina multiplicitate suorum effectuum præbet nobis fundamentum ad hanc distinctionem faciendam. Ergo in creaturis hæc distinctio realis esse debet; quia secus ex hac parte viderentur æquare simplicitatem divinam. 3.^o Habitus, quos anima repetitione actuum acquirit, sunt quædam species virium essentiæ ipsius superadditarum et ab ea realiter distinctarum: quoniam, substantia animæ integra remanente, adesse vel abesse possunt. Ergo idem dicendum videtur de potentiis operativis; cum illæ quoque sint vires quædam, licet non acquisitæ sed naturales et ab ipsa animæ substantia naturaliter promanentes. 4.^o Actus, quos anima producit, realiter ab ea distinguuntur; quoniam adesse vel abesse possunt, integra permanente ejus substantia (O 344). Ergo idem etiam asserendum de eorum potentiis, quia sic melius explicatur eorum multiplicitas et varietas.

33.—SCHOLIUM.—An autem ita distinguantur potentiæ ab anima, ut virtute divina extra eam conservari queant, res admodum obscura est. Si sententia affirmativa eligatur, omnino dicendum cum Suarezio videtur eas nullos actus vitales elicere posse; quia actio vitalis intrinsece dependet a primo principio vitæ et sine eo exerceri nequit (1). Sed quidquid de hoc fuerit, potentiæ prædictæ non sunt causæ *totales* sed *partiales* suorum actuum; cum substantia etiam immediate in illos influat, ut inferius probabitur. Proinde distinctio inter animam et ejus

(1) Cfr. Suarez, *de anima*, lib. 2, cap. 1, n. 8.

potentias non *adæquata* est sed *inadæquata* ex hac parte; quia ipsa ingreditur ut elementum uniuscujusque partiale, sine quo potentiae non sunt vere sed incomplete tales.

§ II.—QUO FACTO POTENTIAE EX ANIMAE SUBSTANTIA
ORIANTUR.

Quaestio hæc manifeste non procedit nisi in hypothesi realis distinctionis inter animam et suas potentias. Responsio danda est, potentias procedere ab anima per actionem quandam emanativam, ut ostendet sequens

PROPOSITIO.

Potentiae animae ab ipsa procedunt per actionem quamdam emanativam ab illa distinctam, qua anima producit.

34.—*Prob. 1.^a prop. p.*—Actio emanativa est illa, cujus terminus in ipso producente remanet. Atqui potentiae animae ab ipsa anima producuntur et in ea post productionem remanent. Ergo...

Prob. min. quod ad 1.^{am} p.—1.^o Forma substantialis, quæ dat primum esse simpliciter composito, debet esse causa efficiens reliquorum, quæ per se illi conveniunt: nam in per se ordinatis quod prius est, debet esse causa posterioris; forma autem substantialis et potentiae operativæ per se ordinantur ad perfectum esse compositi. Sed anima est forma substantialis, quæ dat primum esse composito humano; cum ex illa veniat ut homo sit talis substantia et non alia. Ergo... 2.^a Plenior causam habet essentia rei circa accidentia propria, quæ *attributa* seu *proprietates naturales* vocantur, quam circa accidentia communia et contingenter ab essentia fluentia (L. 62). Nam hæc, utpote naturæ rei specificæ pure contingentia, a principio aliquo extrinseco causantur; illa vero, utpote naturalia et necessaria, ab ipsa essentia naturaliter exiguntur. Sed

erga accidentia communia exercet homo ac proinde etiam anima causalitatem materialem; quoniam in homine recipiuntur et ad hominis perfectionem inserviunt. Ergo erga propria seu potentias ejus operativas exercet, præter causalitatem materialem et finalem, etiam efficientem.

Prob. min. quod ad 2.^{am} p.—Potentiæ animæ intellectuales, utpote spirituales et inorganicæ, in ipsa anima spirituali præpriissime remanere debent, tamquam in proprio subjecto: potentiæ vero reliquæ, utpote organicæ, remanent quidem in organis, sed ut vivis et anima informatis, ac proinde habent pro subjecto partiali etiam animam. Ergo... (1).

Prob. 2.^a prop. p.—1.^o Essentia animæ habet efficientiam erga proprias potentias realiter a se distinctas, ut ex proxime probatis patet. Ergo, sicut anima est effectus Dei, ita potentiæ sunt effectus ab ipsa anima facti. Sed ubi est novus effectus, est nova actio. Ergo... 2.^o Potentiæ vere producuntur ab anima: ergo vera actione ab ea manante procedunt; nam producere sine vera actione inintelligibile est. Sed actio, qua anima producitur, ab ipsa anima non manat. Ergo actio, qua potentiæ fluunt ab anima, est realiter distincta ab illa, qua ipsa anima producitur (2). Fatetur hoc implicite S. Thomas per hæc verba; «Essentia animæ est causa omnium potentiarum, sicut finis, et sicut principium activum (3).

Solvuntur difficultates.

35.—*Contra 2.^{am} p.*—Obj. I. Qui dat formam, dat consequentia ad illam. Sed Deus actione sua creativa dat animam. Ergo eadem actione dat etiam potentias ab anima fluentes.

Resp.—*Dist. maj.*—Qui dat formam, dat *virtualiter* consequentia ad illam, Conc.: dat *formaliter*, Neg. *Et conc. min.*, *neg. cons. sub dist. data.* Qui dat formam, dat consequentia ad illam eodem modo ac qui dat arborem dat fructus ex arbore

(1) Cfr. S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 77, art. 6; item Suarez, *de anima*, lib. 2, cap. 3, n. 5.

(2) Cfr. Suarez, *loc. cit.* n. 6.

(3) S. Thom., *Summ. Theol.*, 1. p. q. 77, art. 6, ad 2.^{um}

manantes. Proinde actio, qua producuntur potentiæ, realiter distincta est ab illa, qua producitur anima; quamvis cum ea est naturaliter connexa et ratione hujus connexionis ambæ dici possunt *moraliter* efficere quandam actionem totalem.

36.—Obj. II. Si anima influxum activum in proprias potentias exerceret; posset eas recuperare, quando aliquam ex illis amisit. Atqui hoc experientiæ adversatur. Ergo...

Resp.—*Neg. maj.*—Potentiæ animæ non amittuntur nisi amisso organo in quo resident. Sed quia anima organum hoc producere activitate sua nequit, ideo nec amissam potentiam in eo residentem recuperare potest.

37.—Obj. III. Si anima prædictum influxum habere dicatur, frustra ponentur potentiæ operativæ realiter ab ea distinctæ: quia sicut producit potentias, etiam earum actiones se sola producere valebit. Atqui hoc pugnat cum dictis in præcedente paragrapho. Ergo...

Resp.—*Neg. maj.*—Sicut ex eo quod artifex humanus possit efficere instrumenta quædam operationis, non sequitur posse etiam efficere se solo et sine instrumentis opera ipsa; ita etiam pari ratione, ex eo quod anima activitate sua intrinseca producat suas potentias naturales, quæ totidem sunt operationis instrumenta, minime sequitur eam posse per se solam actiones harum potentialium facere: hoc enim secundum simpliciores et perfectiores operandi modum postulat, quam illud primum. Proinde doctrina hic tradita minime pugnat cum altera in præcedente paragrapho propugnata.

38.—Obj. IV. In hypothesi prædicta anima ageret in se ipsam. Atqui, juxta dicta in Ontologia (O. 451), in omni operatione agens debet realiter distingui a patiente. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Anima ageret *instrumentaliter* in se ipsam, *Conc.: principaliter*, *Neg. Et contrad. min., neg. cons.* Juxta nostram doctrinam anima non effundit suas potentias nisi instrumentaliter et per modum cujusdam resultantiæ, licet veram activitatem in illis effundendis exerceat. Actiones autem ejusmodi causæ principali, seu generanti tribui solent; sicut tribuitur generanti motus gravium, qui per quandam resultantiam ab illis in se ipsis fit. Ergo nostra doctrina nihil habet quod pugnet cum illa altera de distinctione reali inter agens et

patiens: quia causa principalis hic est Deus; qui, dando formam, dat quoque consequentia ad formam. Ad rem optime Suarez: «In resultantia naturali, quamvis contingat proximum efficiens non esse distinctum a recipiente, tamen simpliciter ille effectus reducitur in efficientem causam distinctam a passo (1).»

§ III.—QUOMODO ANIMA CUM SUIS POTENTIIS OPERETUR.

39.—Hac in re ponentes distinctionem realem inter animam et suas potentias diversa opinantur. Quidam enim putant animam non operari actiones suarum potentiarum nisi *virtualiter et remote*, conferendo scilicet illis suam activitatem eamque conservando. Alii e contra dicunt has actiones fieri ab ea, non solum virtualiter et remote modo dicto, sed etiam *formaliter et proxime* per verum influxum immediate in illas exercitum. Placet hæc secunda sententia: quam quidem tenent plerique Nostrorum cum P. Suarez (2).

PROPOSITIO.

Anima humana immediate concurrat ad actus suarum potentiarum tamquam verum eorum principium partiale.

40.—*Prob.*—1.° Conscientia cuique testatur *se totum* in unitate sua indivisa omnes suos actus sensitivos, intellectivos et appetitivos ad invicem comparare posse. Atqui unitas hæc vere simplex in sola animæ substantia existit, siquidem in potentiis datur vera pluralitas. Ergo omnes actus memorati in substantia animæ vitaliter recipiuntur, ac proinde ab illa immediate causantur. 2.° Vitalitas actuum prædictorum essentialiter pendet ab animæ substantia; ita ut potentiæ non nisi in anima

(1) Suarez, *Metaphys.*, disp. 18, sect. 7, n. 9.

(2) Cfr. Losada, *de anima*, disp. 4; item Quiros, *de anima*, disp. 82, sect. 1; Suarez, *Metaphys.*, disp. 18, sect. 5.; Vazquez, 1. 2. disp. 9, n. 27.

possint vitaliter operari, ut ipsi adversarii fatentur (1). Atqui contrarium accideret, si potentiae forent causae illorum totales: siquidem per potentiam divinam extra substantiam conservatae possent illos producere et recipere, non secus ac in substantia existentes. Ergo... 3.º Si anima solum remote influit in actus suarum potentiarum, voluntas caece et sine cognitione ulla in objecta fertur; nam sic cognitio in solo intellectu remanebit, quae est potentia a voluntate realiter distincta. Atqui voluntas nequit ferri in objecta, nisi prius ea cognoscat: tum quia ad illam praesertim refertur illud axioma: *Nihil volitum, quin praecognitum*; tum quia objectum nequit a voluntate amari, nisi ipsi per cognitionem applicatum atque intime praesens redditum; tum quia voluntas debet illustrari ac dirigi per cognitionem in aliqua saltem sui parte extantem, ne caeca semper atque in tenebris maneat; tum denique quia ad ipsam pertinet inter diversa objecta eligere, ac proinde debet ea cognoscere, saltem secundum aliquam sui partem. Ergo... 4.º Si anima solum remote in actus potentiarum influat; in nullo eorum erit libera; siquidem influxus ille remotus est ei naturalis et minime liber. Sed anima, fatentibus ipsis adversariis, vere libera est in quamplurimis actibus voluntatis. Ergo immediate in illos influit tamquam vera illorum causa partialis. 5.º Anima in productione suarum potentiarum veram activitatem exercet. Ergo nulla est ratio cur ei rationem veri principii activi, *partialis et inadaequati*, in productione actuum vitalium denegetur: quia sic et activitate vera illos causabit et in eis causandis a simplicitate et perfectione divina longe distabit.

Solvuntur difficultates.

41.—Obj. I. Nulla substantia habet tamquam finem proprium operationem. Atqui contrarium accideret, si ipsa anima foret causa actuum: quia tunc haberet in se rationem potentiae activae; ac proinde esset propter actus, ut omnis potentia huiusmodi. Ergo...

(1) Cfr. Losada, *de anima*, disp. 4, cap. 1, n. 2.

Resp.—*Dist. maj.*—Nulla substantia habet operationem tamquam finem, cui ipsa subordinetur. Conc.: tamquam finem, qui in eam ordinetur et eam perficiat, Neg. Et *contradistincta minore, nego consequentiam*. Fatente Aristotele et cum eo cuncta philosophorum turba, omnis substantia est propter operationem, ut finem ab ipsa attingendum. Proinde nulla prorsus ex hac parte difficultas esse potest: quia substantia, sive operetur immediate, sive non, non habebit operationem tamquam finem, nisi ut ad ipsam ordinatum.

42.—Obj. II. Actus essentiæ est substantialis: actus vero potentiæ est accidentalis. Sed actus substantialis nequit esse accidentalis, neque hic substantialis. Ergo essentia nullo modo potest esse potentia operativa; neque totalis, neque partialis.

Resp.—*Dist. 1.^{am} p. maj.*—Actus essentiæ, *quatenus essentiæ* est substantialis, Conc.: *quatenus virtutis operativæ*, Neg. Hæc difficultas jam plane soluta est in propositione secunda paragraphi præcedentis.

43.—Obj. III. Si substantia animæ foret principium immediatum actuum vitalium, quamvis partiale; nos voluntate intelligeremus et intellectu vellemus. Sed hoc est absurdum. Ergo...

Resp.—*Disp. maj.*—Voluntate intelligeremus *secundum se totam*, Neg.: *secundum aliquam partem sui, quæ est etiam pars intellectus*, Conc. *Et contradist. min., neg. cons.* Secundum nostram sententiam, substantia animæ est pars quædam potentiæ, tum sensitivæ, tum intellectivæ, tum volitivæ. Proinde nos intelligimus voluntate secundum eam illius partem, quæ est etiam pars intellectus; et amamus intellectu secundum eam illius partem, quæ est etiam pars voluntatis. In quo quidem nulla difficultas est: quia sic potentiæ, quatenus tales et quatenus plenæ potentiæ sunt, remanent realiter distinctæ, tum inter se, tum etiam ab essentia.

44.—Obj. IV. Sanctus Thomas removet ab essentia omnem influxum immediatum in actus vitales. Ergo saltem fateri debemus nos recedere in hoc a S. Doctore.

Resp.—1.^o *Transeat totum.*—Non enim ita adstricti S. Thomæ esse cogimur, ut in nulla re quantumvis minima ab eo recedere liceat, ut in Logica invictis argumentis ostendimus (L. 505-510). Proinde in re parvi momenti, qualis est ista,

bene possumus Aquinatis opinionem cum reverentia relinquere, ut aliorum gravissimorum auctorum probabiliorem sequamur. Et hoc quidem in hypothesisi quod D. Thomas nobis contrarius sit: nam hoc optimo jure cum Suarezio negari potest (1). Unde

Resp.—2.º *Dist. ant.*—Sanctus Thomas removet ab essentia omnem influxum immediatum in actus vitales, *quatenus negat essentiam esse principium eorum totale*, Conc.: *quatenus removet ab essentia rationem principii etiam partialis*, Neg. Sanctus Thomas fatetur animam active influere in productionem suarum potentiarum. Ergo optimo jure existimari potest non voluisse removeere ab ea omnem prorsus influxum causæ efficientis relate ad suos actus, quando dixit animam realiter distingui a suis potentiis; sed intendisse tantum probare animam non esse principium *totale* suorum actuum (2).

ARTICULUS III.

De potentiis animæ naturalibus seu vegetativis.

45.—Postquam animæ potentias in genere consideravimus, nunc de singulis speciatim agendum nobis est. Igitur, ut a vegetativis initium sumamus, has *naturales*, dicimus, ut scribit S. Thomas; «tum quia habent effectum similem naturæ, quæ etiam dat esse et quantitatem et conservationem; licet hæ vires habeant hoc altiori modo; tum quia hæ vires exercent actiones suas instrumentaliter per qualitates activas et passivas, quæ sunt naturalium actionum principia (3)».

46.—Potentiæ seu vires vegetativæ in homine triplicis generis sunt, *nutritiva* scilicet, *augmentativa* et *generativa*. Homo enim, non secus ac planta quælibet, virtutem habet in substantiam suam convertendi alimentum extrinsecus acceptum, augendi molem hujus substantiæ ope molecularum in illam con-

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 18, sect. 3, n. 21.

(2) Cfr. Losada, *de anima*, disp. 4, cap. 2.

(3) S. Thomas, *Summ. Theol.* I. p. q. 78, art. 2, ad 1.^{um}

versarum, et alios sibi similes procreandi mediante semine a se naturaliter elaborato (C. 372).

47.—Inter has tres potentias «finalior et principalior et perfectior est generativa, ut dicitur in 2 *de anima*, text. 49; *est enim rei jam perfectæ facere alteram qualis ipsa est*. Generativæ autem deserviunt et augmentativa et nutritiva; augmentativæ autem nutritiva (1).

48.—De distinctione harum potentiarum inadæquata ab animæ substantia jam supra in præcedente articulo actum est. Quam quidem frustra quis impeteret dicendo accidentia, quales sunt vires omnes realiter a substantia distinctæ, non posse dare existentiam substantiæ. Nam accidentia hoc possunt facere instrumentaliter et adjuvando causam principalem; ut patet in productione omnium corporum inorganicorum, quam naturalia agentia per qualitates activas et passivas exercent. Vires autem prædictæ ad nutritionem, augmentationem et generationem non nisi instrumentaliter concurrunt, influxum principalem præbente ipsa substantia (2).

49.—An autem, sicut realiter distinguuntur a substantia, ita etiam inter se, non omnino liquet. Dicendum tamen videtur solam distinctionem rationis inter eas intercedere. Et quidem a) ad nutritivam et augmentativam quod attinet, qua virtute convertitur alimentum in substantiam aliti, eadem acquiritur moles corporis nova: hæc vero acquisitio dicitur *augmentatio*, quando moles nova deperditam magnitudine superat: patet ergo virtutem augmentativam a nutritiva in re non differre. Quod si nutritiva toto tempore vitæ animalis exercetur, augmentativa autem definitos terminos in operando habet; hoc non ex reali earundem distinctione oritur, sed ex diversis conditionibus in quibus una et eadem vis sub diversis temporibus operatur. Nam initio membra molliora sunt et facilem viam alimentis sinunt, ut ad partes nutriendas accedere valeant;

(1) Id. *ibi*d. in corpore articuli.

(2) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 18, sect. 2, nn. 15 et seqq.: ubi retractat quæ prius dixerat in lib. 2 *de anima*, cap. 9.

deinde vero paulatim magis ac magis in dies durescunt et alimentorum cursum difficiliorem reddunt: quo fit ut per unam et eandem vim nutritivam in pueritia plus aggeneretur substantiæ quam deperdatur, in juventute tantum adquiratur quantum deperditur, in senecta denique minus obtineatur quam amittitur. *b)* Deinde ad generativam quod spectat, sufficit notare actionem potentiæ nutritivæ in quadam substantiæ aggeneratione consistere: unde fit ut processu temporis omnia corporis membra per virtutem potentiæ nutritivæ restaurentur et tota illius moles per eam aggenerata existat. Hinc enim intelligi datur virtutem formativam seminis a virtute nutritiva in corpore jam organizato existente quod ad substantiam non differre. Quomodo autem sit in semine ad unitatem, ut ita dicam, redacta tota illa multiplex vis nutritiva in corpore sparsa, hoc sane difficile intellectu est: non ideo tamen ab arrepta sententia recedere debemus, cum virtus in semine latens omnibus modis valde mira sit et prorsus inexplicabilis. Certe difficultas hæc Aristotelem ab amplectenda nostra sententia non deterruit; cum ipse Suarez, qui hac in re nobis contrarius est, eam illi claris verbis tribuat (1).

50.—Operationes quibus potentiæ vegetativæ in finem sibi a natura inditum pondere veluti suo feruntur, *digestione, absorptione, sanguinis circulatione, respiratione, secretione, nutritione, calorificatione* et *reproductione* continentur: de quarum singulis enucleatius disserere ad cultores scientiarum naturalium spectat. Nobis vero sufficiat in genere dixisse illas omnes transeuntes quidem esse respectu potentiæ per quam fiunt, secus vero respectu suppositi illas producentis, quemadmodum in Cosmologia dictum fuit (360).

51.—Unum tantum circa sanguinis naturam quæremus, utrum nempe vita præditus, vel animatus dici debeat. Et quidem apud Scholasticos communior sententia tenebat illum animatum non esse: tum quia alimenti munere fungitur, quod nondum est in corporis substantiam conversum; tum quia ejusdem rationis est cum sanguine e vena extracto, qui inanimatus existit; tum denique quia in venis tamquam in vasis inclusus absque vera conti-

(1) Cfr. Suarez, *de anima*, lib. 2, cap. 10, n. 5.

nuatione cum partibus certo animatis continetur. Apud recentiores vero Physiologos contraria omnino prævalere videtur. Nam tribus elementis sanguis intrinsece constitutus cernitur, *globulis quibusdam rubris, globulis albis et liquido quodam plasmatis* nomine designato atque ex *fibrina seroque* composito. Jam vero globulos tam rubros quam albos cellulis viventibus æquiparant, *plasma* autem vita donatum reputant.

52.—Ex his duabus opinionibus secunda hoc habet commodi, quod ita melius explicatur quomodo sanguis ad integritatem corporis pertineat et cur in corporibus etiam gloriosis existere debeat. Verum habet contra se rationes omnes pro prima stantes, quæ sane non parum graves videntur. Aliunde vero quæ in ejus favorem afferuntur, non satis validæ apparent. Nam in primis motus tremuli qui in sanguinis globulis cernuntur et *browniani* a Physiologis dicuntur, non vitales sed pure mechanici fortasse sunt. Deinde origo, evolutio et duratio horum globulorum, fatentibus ipsis Physiologis, res sunt obscurissimæ et penitus ignotæ: unde gratis omnino cellulis viventibus æquiparantur, quia forte per simplicem molecularum aggregationem formantur et crescunt. Denique immerito prorsus plasma seu liquidum sanguineum dicitur esse organizatum et vivum; cum in eo nullum organizationis aut vitæ signum appareat et per puram molecularum juxtapositionem, ut res omnes vita destitutæ, crescat.

53.—Dicendum ergo videtur sanguinem, sicut et omnes alii humores per hominis corpus diffusi et ad vitæ functiones necessarii, esse quidem partem quandam ad integritatem humanæ naturæ pertinentem, anima autem humana minime informatum existere. Movetur quidem motu locali per totum corpus; sed motus hic actioni cordis debetur, quod sese naturaliter, contrahendo et dilatando ad circuitum suum percurrendum illum adigit. Forte non incongrue quis diceret globulos sanguineos vita quidem vivere, sed sibi propria et non ab ipsa anima humana formaliter proveniente; cum partes quædam sint ad integritatem humani compositi spectantes, quæ cum partibus ab anima informatis non continuantur.

ARTICULUS IV.

De potentis animæ sensitivis.

54.—Potentiæ sensitivæ *æ dicuntur, quibus percipimus objecta materialia sub formis determinatis et concretis*. Collectio illarum *sensibilitas* vocari solet; quæ in *externam* et *internam* distribuitur. Potentiæ ad sensibilitatem externam pertinentes *sensus externi* nuncupantur; quæ vero ad internam spectant, *sensus interni* dici solent; actiones denique quibus utriusque generis potentiæ objecta sua percipiunt, *sensationes* et *sensibiles perceptiones* audiunt. Ut in hac re amplissima ordinem aliquem teneamus, primum de natura sensationis in genere, deinde vero de sensibilitate tum externa tum interna distinctis paragraphis disputabimus.

§ I. QUÆNAM SIT SENSATIONIS NATURA.

55. Apud omnes philosophos constat sensationem actum quemdam *aliquo modo organicum* esse: siquidem experientia cuique testatur potentias sensitivas nunquam in operationes suas erumpere sine concursu quarundam corporis partium, quæ *organa sensuum* vocantur (L. 406, 423-427). Quæstio ergo solummodo versatur circa modum quo sensatio organica est. *a)* Et primo quidem Materialistæ eam ita organicam faciunt, ut cum motu locali confundant, animam in pura virium molecularium harmonia reponentes. *b)* Deinde Cartesiani recentiores, quibus jam belluæ non mera automata sed vera entia cognoscitiva sunt, sensationem actum pure spiritualement reputant a sola anima factum et in sola anima receptum. Eatenus autem organicam appellant, quatenus anima non potest naturaliter eam elicere, quin prius ab objectis externis excitetur pulsatione organorum ab extimis corporis partibus per nervos sensorios ad cerebrum usque transmissam. Unde influxum corporis, in mera fibrillarum et cerebri commotione ab eis repositum, non-

nisi *puram conditionem sine qua non* ad sentiendum esse dicunt; sensationem vero ipsam soli animæ tribuendam esse contendunt, eique tamquam objectum organorum commotiones a rebus exterioribus productas assignant. Sensatione enim nulla corpora exteriora proprie percipi asserunt sed solas impressiones organicas ab illis in corpore nostro causatas. *c)* His proxime accedunt quidam philosophi, qui sensationem quidem opus esse dicunt, non animæ solum, sed conjuncti animæ et corporis, sensationis autem nomine intelligunt complexum perceptionis ab anima sola productæ et commotionis organicæ illam præcedentis et comitantis. Idem enim quod Cartesiani quoad substantiam docent; eoque solum ab illis se discernunt, quod dicant sensatione externa non impressiones organicas modo ab anima percipi, sed ipsa etiam corpora exteriora, quæ tamquam objectum proprium et directum prædictæ sensationis considerant. *d)* Denique Scholastici inter Materialistas et Cartesianos mediam viam sequuntur. Dicunt enim: 1.º Sensationem toto cœlo a locali motu distare; 2.º Non in plurium actionum complexu consistere, sed unam in se atque indivisam esse; 3.º Nec a sola anima nec a solo corpore, sed ab humano composito proficisci; 4.º illius sedem non modo cerebrum esse, sed organa etiam omnia sensoria anima vivente informata et per totum hominis corpus sparsa; 5.º illius denique objectum directum non commotionem organorum mechanicam et mortuam esse, sed substantias materiales, hujus commotionis causas, quando agitur de sensatione externa.

Ex his omnibus sententiis ultimam Scholasticorum omnino tenendam censeo. Quod ut ostendam, sequentes propositiones demonstrandas assumam.

PROPOSITIO PRIMA.

Falsa prorsus est Materialistarum opinio, sensationem cum locali organorum corporis motu turpiter confundentium.

56.—*Demostr.*—1.º Materialistæ ideo sensationem cum motu partium corporis organicarum confun-

dunt, quia putant animam humanam non esse substantiam, sed in quadam virium materialium harmonia consistere. Sed contrarium prorsus superius contra ipsos ostensum est. Ergo...

2.^o Si sensatio purus motus localis foret, omnes animalium actiones per solas leges mechanicas motus explicari deberent. Atqui hoc est prorsus impossibile. Nam, ut exemplo aliquo utamur, quis per solas leges motus explicare valeat actiones *canis* hac illac anxie cursitantis, ut absentem dominum inveniatur? tripudia et saltus illius, domino invento? Idem dici potest de multiplicibus et ordinatissimis *apum* motibus, de ingeniosissimis *felium*, *vulpium* et aliorum animalium astutiis ad fines suos obtinendos, etc., etc. Ergo... (1).

3.^o Materialistæ, sensationem ad motum localem reducere volentes, ex principio generali procedunt, quod nihil in rerum natura existere putent nisi materiam et materiæ motum. Atqui hoc principium absurdissimum est: siquidem libertatem humanam evertit, quam conscientia nostra testatur; evertit etiam jura et officia, pacta et leges, præmia ac pœnas, aliaque sexcenta, quæ libertatem pro fundamento habent et sine ea existere prorsus nequeunt; evertit denique possibilitatem omnis civilis societatis, quæ sine juribus et officiis, pactis et legibus, præmiis et pœnis prorsus repugnat. Ergo...

Solvuntur difficultates.

57.—Obj. I. Materia per organizationem novas quasdam vires acquirit. Ergo dicere possumus sen-

(1) Cfr. P. Losada, *de anima*, disp. V. cap. II, ubi latius urgetur hoc argumentum contra Corpusculares.

sationem esse materiæ motum, non qualiscumque, sed organizatæ et ad statum quemdam perfectiorem et magis complexum redactæ.

Resp.—*Dist. ant.*—Materia per organizationem novas quasdam vires acquirit *mechanicas tamen et a vitalibus plane diversas*, Conc.: *vitales*, subd.: *si principio aliquo perfectionem materiæ superante informetur*, Conc.: *secus*, Neg. Materia, quantumvis per organizationem perfecta supponatur, semper in se est quid mortuum et legibus pure mechanicis subjectum. Ergo numquam edere poterit vel minimam actionem vitalem; multo vero minus sensationem aut intellectionem, quas ei tribuunt Materialistæ.

58.—Obj. II. Sensatio passio quædam est subjecti sentientis. Atqui si a motu locali distingueretur et vera perceptio cognoscitiva foret; tunc non passio sed actio esset dicenda. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Sensatio est quædam passio *secundum quid*, Conc.: *simpliciter*, Neg. *Et contrad. min., neg. cons.* Sensatio aliquid habet admixtum actionis et passionis: proinde nec passio nec actio simpliciter dici potest, sed tantum secundum quid. *Habet aliquid actionis*, quatenus vere elicitur active a principio sentiente: *habet vero aliquid passionis*, quatenus hoc principium indiget motione extrinseca objecti ut illud sentire valeat.

59.—Obj. III. Destructo aut vitiato organo alicujus sensus, destruitur aut vitiatur quoque sensatio per eum elicita. Ergo signum est sensationem nihil aliud esse nisi motum quemdam specialem organi materialis.

Resp.—*Conc. ant. et dist. cons.*—Ergo signum est sensationem nihil aliud esse nisi motum quemdam specialem organi materialis, *vitalem tamen et a mechanicis distinctum*, Conc.: *pure mechanicum et materiale*, Neg. Destructio ac vitatio organi necessario trahere secum debent destructionem ac perversionem sensationum, cum organum intrinsece in illas concurrat. Sed hoc non probat

eas esse meros materiæ motus; quia organum non illas causat, nisi quatenus vivum et a principio quodam materiæ perfectionem longe superante informatum.

PROPOSITIO SECUNDA.

Sensatio non constat duplici actione, quarum una pure mechanica sit et in locali organorum motu consistens, altera autem vitalis et in sola anima recepta; sed unam tantum intrinsece continet, quæ est rerum sensibilibus perceptiva.

60.—*Prænot.*—Non negamus in hac thesi ad sensationem requiri motum organorum localem; sed id solum contendimus, motum hunc esse puram conditionem ad sentiendum, sensationem vero ipsam proprie in actu vitali et perceptivo illum subsequente unice consistere. Proinde hic illos tantum philosophos impugnamus, qui sensationem complexum quemdam motus localis ac mortui et perceptionis sensibilis vivæ definiunt.

6.1.—*Demonst.*—1.° Sensatio in se est quid vere vitale et perceptivum. Atqui motus organorum localis ac mechanicus, qui actum percipiendi præcedit et comitatur, in se nec vitalis est nec perceptivus. Ergo ad intrinsecam sensationis constitutionem minime pertinet, sed hæc in sola rerum sensibilibus perceptione reponi debet. 2.° Hac sola rerum sensibilibus perceptione concepta, jam concipimus sensationem: e contra, quidquid aliud cogitemus, hac perceptione non cogitata, non concipimus sensationem. Ergo in hac sola perceptione essentia sensationis reponenda est; quia essentia uniuscujusque rei est omne et illud solum, sine quo res illa nec esse nec concipi potest. 3.° Commotio organi mechanica non est nisi prævia conditio ad sensibilia objecta percipienda; sicut fervor

sanguinis appetitionem vindictæ consequens est merus effectus naturalis ex illa enascens et ab actu irascendi proprie distinctus. Ergo quamvis in sensationis conceptum indirecto quodam modo ingrediatur, non potest considerari ut pars ejus constitutiva, sed tantum ut quid ad eam prævium et cum ea intime conjunctum.

Solvitur quædam difficultas.

62.—Actio perceptiva sensibilis sine receptione impressionis organicæ esse nequit: quia sensus, ut agat, debet in se recipere actionem objecti per impressionem organicam ad perceptionis productionem concurrentis. Atqui impressio organica in motu organorum locali per objectum extrinsecum causato consistit. Ergo hæc ad sensationis notionem pertinet.

Resp.—*Conc. maj. et min., dist. cons.*: Ergo impressio organica ad sensationis notionem pertinet, *tamquam quid prævie ad eam requisitum*, *Conc.*: *tamquam quid intrinsece eam constituens*, *Neg.* Non omne quod requiritur ad sensationem est constitutum intrinsecum illius, quia secus ipsa omnipotentia divina esset unum ex constitutivis ejus intrinsecis: sed ad constitutiva ejus pertinent illa sola quæ formaliter dicunt actum percipiendi. Impressio autem organica est quid prævium ad hunc actum, sicut et actio objecti externi illam causans.

PROPOSITIO TERTIA.

Actio perceptiva, in qua proprie consistit sensatio, non animæ solius est, sed conjuncti: et in conjuncto recipitur.

63.—*Prænot.*—Prima pars est contra Cartesianos puros dicentes corpus non influere active in actionem prædictam, sed tantum præsuppositive et per modum conditionis præviæ. Secunda est contra illos philosophos, qui, cum teneant commotionem organi tamquam concausam efficientem concurrere ad actum percipiendi sensibilem, contendunt tamen hunc actum in anima sola recipi tamquam subjecto.

64.—*Prob. 1.^a p.*—1.^o Sensatio est actio animalis, quatenus talis; siquidem est operatio illius specifica. Sed animal, quatenus tale; non est nisi compositum ex anima et corpore. Ergo sensatio est actio non animæ solius sed compositi. 2.^o Si potentia producens sensationem foret anima sola, non posset recipere impressionem objecti; siquidem hoc, utpote materiale, non potest agere in spiritum, qualis est anima humana. Sed potentia producens sensationem debet prius recipere impressionem objecti: tum quia ejus actus debet etiam causari ab objecto; tum etiam quia potentia non potest exire ex indeterminatione sua nisi per actionem objecti. Ergo.... 3.^o Si potentia eliciens sensationem foret anima sola, non posset dari lucta inter appetitum sensitivum et rationalem. Nam in hac hypothese actiones utriusque appetitus ab anima sola elicerentur et in bonum solius animæ essent natura sua ordinatæ. Sed contrarium prorsus testatur quotidiana et tristis nimis experientia. Ergo.... 4.^o Sensatio magis dependet a materia quam actus intellectuales. Sed ii dependent a materia indirecte,

quia exerceri ab intellectu nequeunt sine prævia operatione phantasiæ. Ergo sensatio dependet a materia directe: ac proinde etiam materia physice concurrat in illius productionem, ut informata ab anima; quia actio causæ efficientis non in alio consistit quam in dependentia directa quam habet effectus a sua causa.

5.° Si sensatio ab anima sola fit, non modo anima humana sed etiam belluina poterit naturaliter operari a corpore separata. Nam tunc prævia organi commotio non erit nisi quædam conditio extrinseca, ut anima actum suum sentiendi elicere possit: influxum autem hujus commotionis organicæ Deus virtute sua supplere valebit, sicut supplet in intellectu animæ separatæ influxum phantasiæ. Sed hoc nullo modo admitti potest; quia sic anima belluina foret naturaliter spiritualis, incorruptibilis et immortalis non secus ac humana. Ergo. (1). 6.° Si actus sentiendi ab anima sola efficiatur, inutilis prorsus erit tanta organorum diversitas ad sentiendum: quia tunc unum organum sufficiet, ut per illud impressio objecti ad cerebrum transmittatur et anima ejus præsentiam sua propria activitate cognoscat. Ergo diversitas organorum ad diversas potentias sensitivas, ut optime argumentatur Suarez (2), manifeste ostendit eas non esse solius animæ sed conjuncti. 7.° Denique, in contraria hypothesi nulla prorsus hominis actio erit propria conjuncti: quia sensationes et intellectiones fierent ab anima sola, actiones vero vitæ vegetativæ a solo corpore. Atqui hoc omnino rejici debet: quia unionem substantialem animæ et corporis in homine pessumdat. Nam omnis unio substantialis necessario secum fert naturam aliquam et operationes quasdam ab hac natura causatas. Ergo...

65.—*Prob. 2.^a p.*—1.° Sensatio est actus stricte immanens, seu remanens in ipsa causa, unde procedit. Sed causa ejus est conjunctum. Ergo in conjuncto recipi debet. 2.° Sensatio non solum objective sed

(1) In Eccles. cap. 3 manifeste supponi videtur animas belluarum non esse incorruptibiles sed perire simul cum corpore.

(2) Suarez, *de anima*, lib. 2, cap. 3, n. 2. Cfr. D. Thom. lib. 2 *contr. gent.* cap. 82.

etiam subjective et in se ipsa est formaliter extensa; unusquisque enim in se experiri potest sensationes suas extensione vera constare. Unde anima belluina, cujus specifica actio sensatio est, extensionem veram habet, ut in *Cosmologia* ostensum est (C. 397-404). Ergo in subjecto etiam formaliter extenso recipi debet. 3.^o Sentiendi actus nec in corpore solo nec in anima sola naturaliter recipi valet. *Non in corpore solo*: quia est actus vitalis ac proinde esse nequit nisi in subjecto vivo. *Non in sola anima*: tum quia sensatio est actus quidam materialis ac proinde sibi postulat subjectum materiale; tum quia intimius a materia dependet quam intellectio atque idcirco fieri debet a potentia quadam materiali vitaliter eam in se recipiente; tum quia secus anima sine corpore etiam sentire posset: unde et animæ belluarum essent naturaliter incorruptibiles et immortales; tum denique quia secus nulla foret necessitas tam multiplicium organorum ad sentiendum, ut optime argumentatur Suarez (1). Ergo... 4.^o Denique, si subjectum sensationis esset anima sola, omnes deberent esse illi bonæ et appetibiles, utpote ei semper afferentes bonum alicujus cognitionis. Sensatio enim non alia de causa potest esse naturaliter ingrata et dolorosa, nisi quia natura sua tendit ad corruptionem et destructionem potentiae in qua recipitur: quod quidem impossibile esset in hypothesi quod anima sola sentiret, cum potestas sentiendi tunc foret tam spiritualis et incorruptibilis quam potestas intelligendi. Ergo... Hinc D. Thomas cum Aristotele docet potentias sensitivas esse in conjuncto, sicut in subjecto (2), et recipi in organis corporis (3); animam vero a corpore separatam non habere illas nisi radicaliter et dispositive, per modum scilicet quo principiata sunt

(1) Suarez, *de anima*, lib. 2, cap. 3, n. 2.

(2) S. Thom. *Summ. Theolog.* I. p. q. 77, art. 5.

(3) Id., *ibid.* art. 6. ad 1.^{um}

in principiis suis (1): quæ omnia manifeste indicant subjectum sensationum ex mente horum Doctorum esse organa ipsa viva, non autem animam solam aut corpus solum.

Solvuntur difficultates.

66.—Obj. I. Quod anima sentire etiam sine corpore valeat, difficultas nulla est: nam sensatio quam tunc haberet, diversa prorsus foret a præsentē. Nunc enim subjectum sentiens se extensum sentit ratione suæ unionis ad corpus, tunc vero hoc minime accideret. Ergo....

Resp.—*Neg. ant.*—Ad prob. Resp. 1.^o *Neg. cons.* Diversitas enim hæc non tolleretur quominus animæ belluarum essent naturaliter incorruptibiles atque immortales non secus ac nostra, cum has novas sensationes sine corpore naturaliter habere possent.

Resp. 2.^o—*Dist. assert.* Diversa prorsus foret *in suis proprietatibus accidentalibus*, Trans.: *in substantialibus*, *Neg.* Nova illa sensatio substantialiter eadem foret atque antiqua; cum semper in solo subjecto simplici perficeretur et solum circa res huic subjecto extrinsecas variaret.

Resp. 3.^o—*Neg. prorsus assertum cum ejus probatione.* Quia, posito quod subjectum sentiens sit sola anima, falsum omnino erit subjectum hoc in statu unionis cum corpore se sentire extensum; sed sentiet se tantummodo rei alicui extensæ copulatum. Unde extensio erit in hoc subjecto pure objective per modum scilicet rei cognitæ, sicut erit etiam in statu separationis: ac proinde nulla dari potest entitativa diversitas in sensationibus prædictis.

Resp. 4.—*Nego suppositum*, animam scilicet substantialiter uniri corpori, si sensatio in sola illa perficiatur. Tunc enim omnes sensationes et intellectione erunt in anima sola et omnes actiones corporales in solo corpore: unde

(1) *Id. ibid.*, art. 8; item in *Supplement.* q. 70, art. 1.

anima erit corpori unita, non quidem substantialiter seu unum ens cum illo efformando, sed mere accidentaliter, ut motor scilicet mobili, eques equo et nauta navi.

67.—Obj. II. Etiam si anima sola eliciat et recipiat sensationem, adhuc corpori substantialiter unita dici poterit. Ad hoc enim sufficit ut impressio organica sit ei necessaria per modum conditionis prævivæ ad sentiendum. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.—Ad prob. neg. assert.* Necessitas illius impressionis organice minime probat animam in corpore inclusam unum ens physicum cum illo efformare; sicut necessitas aperiendi fenestram, dum sum in cubiculo, ut res in campo posita videre queam, minime ostendit me substantialiter meo cubiculo unitum existere et unum ens physicum cum eo constituere. Præterea, gratis et sine ulla prorsus probatione assertitur, impressionem organi esse conditionem requisitam ad sentiendum; si nec recipitur sensatio in organo, nec organum active influit in sensationem. ¶ Ad quid enim requiri potest hæc organi commotio, si organum in animam simplicem et spiritualem imprimere nequit?

Inst.—1.º Commotio prædicta est necessaria, ut impressionem objecti animæ sufficienter præsentem sistat. Ergo...

Resp.—*Dist ant.*—Commotio hæc est necessaria ut impressionem objecti animæ sufficienter præsentem sistat, si objectum vere per hanc impressionem in potentiam sensitivam agat, Conc.: secus, Neg. Approximatio objecti requiritur ut objectum sua actione potentiam ad operandum determinet in illam aliquo modo agendo.

Inst.—2.º Saltem si organum sua commotione active concurrat ad productionem sensationis; unio vera substantialis corpus inter atque animam existet, etiam si sensatio in sola anima recipiatur: quia tunc jam dabitur communitas actionis. Ergo...

Resp.—*Neg assertum ob rationes in propositione allatas.* Ad probat *dist.*: Dabitur communitas actionis

causatæ, Conc.: *receptæ*, Neg. Communitas actionis causatæ non sufficit ad unionem substantialem; quia Deus et creatura ex. gr. eadem actione efficiunt res a creatura productas et tamen non uniuntur substantialiter. Ad hanc ergo unionem requiritur communitas actionis, non modo causatæ, sed etiam receptæ: quia solum hac ratione corpus et anima constituunt unam integram potentiam activam et vitalem ex materia et forma intrinsece compositam.

68.—Obj. III. Sensatio simplex est et indivisibilis. Ergo subjectum sibi postulat simplex et indivisibile, ac proinde in sola anima recipitur.

Resp.—1.º *Trans. ant. et neg. cons.*—Anima humana simplex est et indivisibilis, atque in opinione adversariorum etiam anima belluina: et tamen neutra illarum sibi postulat subjectum simplex et indivisibile, sed e contra ambæ informant subjectum divisibile et compositum. Ergo idem accidere poterit sensationi, si forte sit simplex; ac proinde consequentia ab adversario ex antecedente illata falsa est et negari debet.

Resp.—2.º *Neg. ant.*—Contrarium enim patet ex rationibus in theseos probatione allatis, et ex iis quæ in Cosmologia ostensa sunt circa formalem extensionem animæ sensitivæ (C. 397 et seqq.) Porro sensationem etiam in nobis divisibilem esse ipsa experientia aperte testatur. Si enim aquæ calidæ manum injicias, sensationem caloris per totam manum sparsam senties. Si deinde facias ut aqua illa partem tantum manus tangat, sensatio tua veram divisionem patietur; nam una tantum illius pars integra remanebit, cæteris per absentiam caloris deletis.

Inst.—1.º Sensatio est actio, qua in unitatem indivisibilitatis reducuntur impressiones variæ et multiplices rei extensæ. Ergo et ipsa gaudet unitate indivisibilitatis (Ita P. Palmieri, *Anthropol.* cap. 2, thes. II, demonstr. 1.º p.)

Resp.—*Dist. ant.*—Sensatio est actio, qua in unitatem indivisibilitatis reducuntur, etc., *prout fit in nobis et ratione animæ spiritualis, quæ per substantiam*

suam immediate in illam concurrat, Conc.: prout fit in quolibet sentiente et ratione animæ sensitivæ, ut sic, Neg. Ostendimus supra animam humanam per ipsam substantiam suam immediate influere in actus omnes suarum potentialiarum. Hinc, quamvis potentiæ sensitivæ in nobis quoque extensæ atque organicæ existant, et actus earum vera extensione ac divisibilitate constant; tamen ii actus ad unitatem indivisionis reducuntur, quatenus in substantia animæ recipiuntur, cum anima nostra ratione suæ spiritualitatis unitate omnimoda indivisibilitatis fruatur. Verum quod convenit sensationibus nostris propter specialem conditionem animæ humanæ, minime tribui potest sensationi ut sic: sed hæc etiam in nobis formaliter extensa est, utpote recepta non solum in substantia animæ sed etiam in organo materiali et formaliter extenso.

Inst.—2.º Idem est in homine subjectum quod sentit et quod se sentire percipit ac de sensationibus iudicat. Sed hoc est sola anima simplex. Ergo et illud (Ita P. Cuevas, *Psychol.* n. 13).

Resp — *Dist. ant.*—Idem est in homine subjectum *partiale*, Conc.: *totale*, subd. *remotum* Conc.: *proximum*, Neg. Subjectum totale proximum actuum vitalium in homine est potentia elicitiva ipsorum *totalis*: hæc autem non est eadem pro omnibus, sed varia et multiplex juxta diversitatem illorum, ut ex superioribus patet. Subjectum parziale, nempe substantia animæ, est quidem idem pro omnibus in homine; quia anima humana spiritualis est: sed hoc accidentale prorsus est sensationi, ut sic; quæ ex se non postulat nisi potentiam sensitivam subjective extensam.

QUÆRES: *An anima a corpore separata objecta materialia divinitus sentire valeat?*

69. — *Resp.* — Quod non possit naturaliter, res est manifesta ex dictis. Nam potentia sensitiva partialiter saltem ab organo constituitur: unde anima post separationem non habet completam potentiam sentiendi, sed tantum incompletam et radicalem. Difficultas est tantum de potentia supernaturali per

extraordinarium Dei auxilium in anima causata. P. Quiros inter alios affirmativam sententiam tuetur hac ductus ratione: «Anima in sua substantia recipit sensationem, quam cum potentia organica producit. Deus autem virtute sua supernaturali supplere potest influxum potentiæ organicæ in anima separata, sicut supplet influxum substantiæ panis in accidentibus eucharisticis. Ergo anima separata hoc divino influxu adjuncta sensationem corporum recipere poterit» (1). Sed dicendum est sensationem proprie dictam nullam prorsus ab anima separata haberi posse. De essentia enim potentiæ sensitivæ, ut sic, est materia corporea, sicut etiam de essentia animalis, cujus actio specifica est sensatio. Potest quidem Deus virtute sua supernaturali facere ut anima separata res materiales concretas et singulares percipiat. Ast perceptio hæc non erit proprie sensatio, sed mera rei materialis concreta cognitio. Unde talis perceptio presentiæ corporalis nullum ei dolorem incutere potest, sicut incutiunt sensationes proprie dictæ in corpore receptæ; ut evidentibus rationibus ostendit Suarez agendo de pœnis dæmonum et animarum in Purgatorio degentium (2).

§. II. QUÆNAM SIT NATURA SENSIBILITATIS EXTERNÆ.

70.—Ut propositæ quæstioni respondeamus, tria hic resolvere oportet. 1.^{um} *Quænam sint organa sensuum relate ad sensationem externam.* 2.^{um} *Quibusnam conditionibus indigeant sensus externi ut in actus suos erumpere valeant.* 3.^{um} *Quodnam sit objectum proprium et directum horum sensuum.*

71.—Circa primum Cartesiani opinantur organum sensibilitatis externæ cerebrum esse; quia ad cerebrum transmittuntur per nervos sensitivos impressiones objectorum in organis sensuum externorum receptæ, et tunc mens vi sibi intrinseca eas percipit atque ab his objectis causatas fuisse ratiocinando cognoscit. Scholastici autem sensationem externam in ipsis organis sensuum posuerunt; ita ut juxta illos vis visiva sit in

(1) Quiros, *Cursus Philos.*—*De anima*, disp. 82, sect. 5.

(2) Cfr. Suarez, *de Angelis*, lib. 8, cap. 13; item *de Pœnitent.* disp. 46, sect. 2.

oculis, auditiva in auribus. olfactiva in naribus, gustativa in palato, tactilis denique in extremitatibus externis nervorum per totum corpus diffusis. Addebant tamen actionem objecti in his organis receptam ad cerebrum usque propagari, ubi sede est sensus communis et interni: ac proinde animam per cerebrum et in cerebro *ope sensibilitatis internæ* percipere. non solum actus sensuum externorum, sed ipsa etiam objecta externa, circa quæ hi actus versantur.

72.—Circa secundum Cartesiani docent sufficere impressionem organicam ad cerebrum transmissam, ut anima per se ipsam et sine ullo concursu objectorum sensationem in se producat. Scholastici vero, si paucos exeipias (1), influxum objecti physicum in actum sentiendi exigunt, ut sensus producere sensationem possit; ita ut sine hoc influxu sensus non sit nisi quædam potentia incompleta. Putant autem potentiam sensitivam compleri non posse nisi per receptionem cujusdam qualitatis ab objecto in ea productæ; quam quidem *speciem sensibilem* ab objecto potentia *impressam* dicunt; *speciem* quidem, quia est quædam objecti similitudo; *sensibilem*, quia ad actum sentiendi producendum natura sua ordinatur; *impressam* denique, quia virtute objecti in potentia sensitiva causatur. Hinc actem ipsum sentiendi *speciem sensibilem expressam* vocant; quia est quædam similitudo objecti virtute potentia per speciem impressam fecundatæ genita et expressa.

73.—Circa tertium denique Cartesiani impressionem cerebri organicam tamquam objectum proprium et immediatum sensationis externæ considerant; res autem externas hujus impressionis causas non nisi ratiocinando ex suis effectibus cognosci posse affirmant. Scholastici e contra per sensationem prædictam corpora ipsa externa, a quibus species impressæ causantur, immediate ac directe percipi docent; quia species ab objecto impressa non est medium *in quo* sed simpliciter *quo* hoc objectum a sensu cognoscitur.

His prænotatis, ut nostram sententiam declaremus, sequentes theses tueri conabimur.

(1) Cfr. Conimbricenses, *in 2 lib. Aristot. de anima*, cap. 6, q. 2, art. 1.

PROPOSITIO PRIMA.

Sensatio externa non in cerebro, sed in propriis cujusque sensus organis perficitur.

74.—*Demonst.*—1.^o Experientia teste, nos oculis videmus, auribus audimus, ore gustamus, naribus olfacimus et tota corporis nostri superficie corpora extra nos posita tangimus. Atqui ex una parte, sensatio non in anima sola sed in conjuncto recipitur; ex altera vero, nihil est cur nervos sensorios oculorum, aurium, oris, narium, totiusque corporis meros conductores impressionis mechanicæ ab objecto externo acceptæ dicamus, ut ex solutione difficultatum patebit. Ergo... 2.^o Experientia nobis testatur nos sentire *in pede, in manu, in brachio*, etc., actionem corporum externorum in illis corporis nostri partibus impressam. Atqui experientia hæc minime fallax dici potest: est enim ordinaria et normalis, omnibus hominibus communis, perennis ac constans, omnibus denique conditionibus prædita quæ ad veracitatem experientiæ internæ requiruntur. Ergo... 3.^o Si cerebrum foret unicum organum sensationum, nulla esset ratio ponendi in corpore tam varia et diversa organa sensoria; sed sufficeret unum statuere per totum corpus diffusum, quo impressiones organicas ad cerebrum transmitterentur. Atqui contrarium prorsus accidere videmus. Ergo signum est sensationem externam, non in cerebro, sed in unoquoque ex organis sensoriis peragi... 4.^o Denique ideo a Cartesianis statuitur in cerebro sensatio externa, quia ibi anima tamquam in propria sede ab illis collocatur. Sed hæc ratio nulla est; quia anima nostra est tota in singulis corporis partibus vitam eis vegetativam tribuens, ut infra ostendetur. Ergo...

Solvuntur difficultates.

75.—Obj. I. Ex Anatomia constat nervos quosdam sensorios ex singulis corporis partibus ad cerebrum usque protendi; atque ex cerebro ad singula motuum organa alios nervos propagari, qui *motores* dicuntur. Item Physiologia docet ad sensationes et motus liberam et expeditam communicationem requiri inter cerebrum et organa sensuum ac motuum. Atqui hoc aperte significat, organa sensoria nihil aliud facere, nisi impressionem extrinsecus advenientem accipere atque cerebrum per nervos sensorios transmittere, ut ibi ab anima sentiatur. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.*—Communicatio prædicta requiritur, ut ex cerebro ad organa sensuum vis sensitiva derivetur. Cerebrum enim, ut jam suo tempore notaverat P. Suarez (1), fons est ac radix totius vitæ sensitivæ; quæ quidem ex eo ad omnes corporis sensus derivatur.

76.—Obj. II. Si baculo res mundi corporeas tangas, illas omnes in ea baculi parte tibi sentire videberis, qua ipsas tangis. Atqui hoc iudicium manifeste erroneum est. Ergo idem dicendum de altero, quo res in variis corporis partibus nos sentire cogitamus.

Resp.—*Neg. cons. et parit.*—Baculum non est instrumentum animæ conjunctum, ut corpus per eam informatum. Porro factum in objectione commemoratum facile in ipsos adversarios retorquetur: nam phantasia ideo sensationem in summitate baculi collocat, quia hic *ad modum instrumenti conjuncti* se habet et modum agendi ipsorum organorum aliquatenus imitatur.

(1) Suarez, *de anima*, lib. 3, cap. 13, n. 4.

PROPOSITIO SECUNDA.

Objecta externa non modo sensus actione sua ad operandum determinant, sed vere ac physice simul cum illis sensationes ipsorum producant.

77.—*Prænot.*—Prima pars est contra quosdam Scholasticos antiquos, qui putabant sensus ex sola objecti externi præsentia, absque ulla illius actione in organum exercita, ad illud percipiendum determinari. Secunda Cartesianos ferit, juxta quos sensitio ab anima sola producitur et in anima sola recipitur.

78.—*Prob. 1.^a p.*—1.^o Id constat ex ipsa experientia. Nam etiamsi objecta sensui præsentia sint; si actionem in ejus organum exercere prohibeantur, a sensu minime percipiuntur. Ergo signum evidens est actionem objecti in organum sensus esse naturaliter necessariam, ut hic ad illud percipiendum determinetur. 2.^o Sensus est quidem ex se determinatus in genere ad sentiendum, non autem in specie: unde, ut de facto sentiat hoc præ illo, indiget aliqua determinatione extrinseca. Atqui determinatio hæc ex objecto ipso oriri debet; secus enim hoc in sui cognitionem nullo modo influeret. Ergo...

79.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Perceptio sensibilis non solum est actus vitalis, set etiam imago objecti. Sed de ratione imaginis est ut ab exemplari cæusetur. Ergo objectum veram et propriam causalitatem in perceptionem sui exercent necesse est. 2.^o Axioma est apud Philosophos communiter receptum, *notitiam ab objecto simul et potentia gigni*. Atqui objectum nequit aliter notitiam sui in sensu gignere, quam simul cum eo eam producendo. Ergo... 3.^o Si perceptiones sensibles a potentia sola sensitiva factas supponamus, dicere oportebit unamquamque potentiam sensitivam ha-

bere in se eminenter similitudines omnium corporum possibilium: siquidem omnia virtute sibi intrinseca repræsentare poterit; cum non sit potior ratio pro uno, quam pro alio. Sed habere eminenter ex essentia sua similitudines et repræsentationes rerum solius Dei proprium est; a quo omnis realitas, sicut et omnis idealitas, dimanat. Ergo...

Solvuntur difficultates.

80.—*Contra 1.^{am} p.*—Obj. I. Omnis potentia appetitu innato in suum objectum fertur, si sufficienter ei præsens fit. Ergo ut sensus in objecti externi cognitionem erumpat, sufficit ei sola ejus præsentia.

Resp.—*Dist. ant.*—Omnis potentia etc., si sufficienter ei præsens fit; *et sufficienter sensui externo præsens objectum non fit nisi mediante actione per illud in organum sensorium impressa*, ut perpetua experientia constat, Conc.: *aliter*, Neg.

81.—Obj. II. Sensus ex se ipso habet vim se objectis assimilandi: tum quia est virtus quædam cognoscitiva seu assimilativa; tum etiam quia cognitio non est objecti imago nisi metaphorica et intentionalis. Ergo ex sola præsentia objecti potest ad illud cognoscendum determinari.

Resp.—*Dist. ant.*—Habet vim *indeterminatam et incompletam*, Conc.: *determinatam et completam*, Neg. Cognitio ab objecto et potentia provenire debet: proinde vis assimilativa sensus ex se sola non potest non esse incompleta.

Ad rat. 1.^{am} *eadem esto distinctio.*

Ad rat. 2.^{am} *Dist. assert.*: Cognitio non est objecti imago nisi metaphorica et intentionalis; *quatenus in illa non sunt ipsa delineamenta materialia, quæ in objecto inveniuntur, sed aliquid eis æquivalens*, Conc.: *quatenus in sua origine et in sua aptitudine ad repræ-*

sentandum conditiones veræ imaginis non sortitur, Neg. In hoc secundo sensu cognitio veræ imagini perfecte æquiparatur: idcirco ab objecto in nobis procedat necesse est.

82.—Obj. III. Si sensus externus motione organica indigeat ad aliquid percipiendum, motio hæc erit ejus objectum proprium et directum. Atqui hoc admitti nequit; quia objecta externa in se ipsis et immediate, non autem in suis effectibus et mediate a sensibus externis percipiuntur. Ergo...

Resp.—*Neg. maj.*—Motio organica objectum quidem est sensibilitatis internæ: at respectu sensibilitatis externæ non se habet nisi per modum conditionis, ut sensus ad agendum determinetur; et per modum instrumenti, quo objectum simul cum potentia in productionem sensationis concurrat.

83.—*Contra 2.^{am} p.*—Obj. IV. Objectum, utpote quid materiale et vita destitutum, nequit physice influere in sensationem vitalem et illo longe perfectiorem. Ergo actio objecti in sensationem pure moralis et applicativa potentiæ ad agendum dicenda est.

Resp.—*Dist. assert.*—Objectum nequit physice influere in sensationem, *ut causa principalis*, Conc.: *ut causa instrumentalis*, Neg. Causa principalis sensationis externæ est virtus cognoscitiva et assimilativa sensus; objectum autem, seu qualitas materialis per objecti actionem organo sensus impressa non concurrat in sensationis productionem nisi ut instrumentum elevatum ad ordinem superiorem vitæ sensitivæ.

84.—Obj. V. Si objectum materiale instrumenta-liter tantum concurrere dicatur ad productionem sensationis; oportebit sensum agentem admittere, qui abstrahat formam rei sensibilis a conditionibus suis omnino materialibus et vita destitutis. Sed sensus agens communiter a Philosophis rejicitur. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et disting. min.*—Sensus agens, *qui species sensibiles impressas in sensu producat*, communiter a Philosophis rejicitur, Trans.; *qui actum*

sentiendi simul cum objecto efficiat, Neg. Porro sensus cognitionem sensitivam producens in proprio ordine operatur, ac proinde munus exercet causæ principalis: objectum vero simul cum sensu ad productionem prædictæ cognitionis concurrans effectum causat ordinis suo longe altioris, atque idcirco conditiones causæ instrumentalis non excedit.

PROPOSITIO TERTIA.

Objectum per solam qualitatem materialem organo corporeo impressam et absque ulla ulteriore entitate in potentia sensitiva recepta in affectionem sensationis concurrat.

85.—*Prænot.*—Est contra plures Scholasticos, qui, præter affectionem organicam, exigunt qualitatem quamdam in ipsa potentia sensitiva receptam et ab objecto causatam, ut potentia prædicta in actum suum cognoscitivum erumpere valeat. Qua in re pugnant pro nobis Aristoteles et S. Augustinus, ut infra ostendetur; Durandus quoque (1), Ochamus (2), Gabriel (3), Gregorius Ariminensis (4); ex parte denique etiam Hurtadus, Arriaga, Quiros et alii, qui speciem sensibilem impressam negant in tactu, gustu et olfactu; et Oviedus atque Ulloa, qui eam in omnibus sensibus externis, visu excepto, rejiciunt (5).

86.—*Prob.*—1.º Potentia sensitiva, ut in actum percipiendi objectum erumpat, non indiget prius objecti motionem in se ipsa recipere; sed sufficit ei præsentia affectionis organicæ, per quam ad illud percipiendum determinetur et cum qua actum percipiendi producat. Nam sensus, ex una parte, de se jam est determinatus in genere ad sentiendum; ex altera vero, qualitas

(1) Durandus, *in 2 Sent.*, dist. 3, q. 6.

(2) Ochamus, *in 2 Sent.*, dist. 17 et 18.

(3) Gabriel, q. 2.

(4) Gregor. Arimin. *in 1 Sent.* 3, q. 1; et *in 2 Sent.*, dist. 7, q. 3.

(5) Cfr. Losada, *de anima*, disp. 6, cap. 2, n. 27.

illa materialis in organum ejus ab objecto immissa, utpote ex se ad sensationem producendam ordinata, et virtutem sentiendi sensui propriam complet, et sensum ad agendum determinat, et actum sentiendi simul cum sensu efficienter causat. Ergo objectum per solam affectionem organicam in sensationis productionem concurrere dicendum est; nam entia non multiplicanda sunt sine necessitate. 2.^o Receptio entitatis prædicta foret potentiae sensitivæ externæ necessaria, vel ut compleat ejus virtutem activam, vel ut eam determinet ad agendum. Atqui nihil horum dici potest. *Non primum*: quia ut una concausa virtutem alterius compleat, non indiget ei inhærere tamquam subjecto; ac proinde objectum poterit complere virtutem potentiae sensitivæ, quin ei inhæreat, neque per se, neque per qualitatem ejus vicariam. *Non secundum*: quia sensus potest determinari ad agendum per solam affectionem materialem sui organi; sicut voluntas determinatur ad suos actus per solam repræsentationem objecti in intellectu existentem, sicut etiam potentiae animæ excitantur ad agendum per solam volitionem voluntatis, sicut denique ignis determinatur ad combustionem stuppæ per solam ejus applicationem ad ipsam; determinatio enim ex se non exigit motionem physicam rei determinandæ, sed per motionem etiam moralem fieri potest. Ergo... 3.^o Id ipsum confirmatur auctoritatibus Aristotelis et Sancti Augustini. Et quidem Aristoteles lib. 2 *de anima*, cap. 11, text. 118 sic scribit: «Sentire namque pati quoddam est. Quare, id quod agit, tale illud facit; cum sit potentia tale, quale est ipsum actu». Quibus verbis indicat sensum non fieri actu ipsum sensibile, nisi quando actu sensationis afficitur ab ipso sensibili causato; ac proinde sensum non recipere a sensibili nisi similitudinem ejus expressam in actu ipso sentiendi contentam. Id ipsum tradit ibidem lib. 3, cap. 2, text. 138-139 his verbis. «Atqui operatio rei sensibilis atque sensus una quidem atque eadem est... cum operatur id quod audire potest, et sonat id quod sonum efficere potest; tum simul fit et auditus actu et sonus etiam actu, quorum alterum quispiam auditionem, alterum sonationem esse non incongrue dicere potest. Quod si motus et actio atque passio in eo est quod patitur atque movetur; necesse est et sonum et auditum actu in auditu, qui est potentia, esse». Porro

hic una et eadem actio rei sonantis et auditus audientis esse dicitur, et ante receptionem hujus actionis auditus in pura potentia ad audiendum esse declaratur. Quod quidem non esset verum, si auditus specie soni impressa informatus existeret; nam, juxta ipsos adversarios, sensus specie rei sensibilis impressa informatus est jam ipsum sensibile in actu, ante quam illud per speciem expressam sentiat. Ergo Aristoteles manifeste non aliam qualitatem docuit sensui ab objecto sensibili imprimi nisi ipsam sui sensationem. Deinde S. Augustinus in libro *de quantitate animæ*, cap. 23, aperte ait visum nihil aliud ratione visionis pati nisi ipsum actum videndi, hanc rationem reddens: «Si enim me rogares quid pateretur ægrotans, ægritudinem responderem; quid cupiens, cupiditatem; quid metuens, metum; quid gaudens, gaudium. Cur ergo roganti quid videns patiatur, non recte ipsum visum respondeam?» Porro in sententia adversariorum non visum tantum, sed speciem etiam impressam rei visibilis sensus pati dicendus esset. Jam vero hoc secundum ille negavit, primum illud tantum admittens. Ergo ipsissimam nostram sententiam tenuit. Patet ergo non aliam speciem impressam nisi affectionem organicam admittendam esse.

Solvuntur difficultates.

87.—Obj. I. Sensus est potentia passiva. Ergo indiget physice moveri ab objecto, ut agere possit.

Resp.—*Dist. ant.*—Sensus est potentia passiva, *quatenus recipit actionem objecti ad suam sensationem terminatam*, Conc.; *quatenus ad agendum indigeat physice præmoveri*, subd. *in aliqua sui, parte scilicet in organo ejus materiali*, conc. *in se toto*, neg. Per motionem organi jam sufficienter determinatur ad agendum, quin aliquid in se recipiat.

88.—Obj. II. Objectum sensibile, ut sensationem producat, debet uniri potentia sensitivæ; quia hujus cognitio per objecti assimilationem fit. Atqui non unitur per se ipsum. Ergo per suam speciem.

Resp.—*Dist. maj.*—Objectum sensibile, ut sensationem producat debet uniri *active* potentia sensitivæ, Conc.; *formaliter*, Neg. *Et contrad. min., neg. cons.* Cognitio sensitiva per ob-

jecti assimilationem fiet, dummodo ab objecto vere causetur; etiamsi hoc objectum non inhæreat potentiæ tamquam subiecto, nec per se ipsum, nec per aliquam ejus virtutem.

89.—Obj. III. Aristoteles species impressas sensibiles docet. Nam in lib. 3 *de anima*, cap. 2, text. 138, ait organum uniuscujusque sensus *ipsum sensibile in se sine materia suscipere*. Atqui hoc non nisi de specie sensibili intelligi potest. Ergo.....

Resp.—*Neg. ant.*—Ad ejus prob. *conc. maj. et dist. min.* Non nisi de specie sensibili *expressa* intelligi potest, *Conc., impressa*, *Neg.* En Aristotelis verba: «Præterea, in ipsum etiam, quod videt, colore quodammodo delibutum est. Instrumentum enim uniuscujusque sensus ipsum sensibile sine materia suscipit, uti diximus. Quocirca, sensibilibus ipsis semotis, insunt in sensuum instrumentis sensus, imaginationesque». Porro sufficit vel leviter inspicere hæc verba, ut statim videatur in illis sermonem non haberi nisi de cognitione sensitiva actuali et de specie memorativa per eam relicta.

90.—Obj. IV. S. Augustinus ait rudioris ingenii esse species sensibiles potentiæ impressas negare. Nam in lib. 11 *de Trinitate* cap. 2. docet, manifestum esse tria ad visionem requiri ab ipsa visione realiter distincta; objectum nempe visibile, potentiam visivam et intentionem animi. Atqui nomine *intentionis animi* speciem impressam intellexit. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad prob. *conc. maj. et neg. min.* S. Augustinus per intentionem animi, non speciem ullam, sed *volitionem* voluntatis intellexit. Patet hoc manifeste totum contextum inspicienti: ideo dicit intentionem hanc, non in sensu, sed in anima esse; et ita in ea, etiam post excæcatos oculos, integram perseverare, ut videre appetat voluntas, sive id fieri possit, sive non possit.

PROPOSITIO QUARTA.

Objectum directum et immediatum sensationis non est impressio organica, sed ipsum objectum externum.

91.—*Demonst.*—1.° Objectum directum et immediatum sensationis est id ad quod directe et immediate per sensum ferimur. Atqui per sensus externos non

ferimur ad commotiones ullas nostrorum organorum, sed ad corpora ipsa extra nos posita, ex quibus hæ commotiones procedunt, ut cuique propria experientia testis est. Ergo... 2.^o Dicere sensationem externam habere pro objecto directo et immediato impressionem organicam seu speciem impressam est illam prorsus evertere et solam sensationem internam statuere: tunc enim sensationibus omnibus solas corporis nostri modificationes perciperemus, quæ ad sensibilitatem internam pertinent. Atqui hoc plane rejici debet, ut ex dictis in Logica constat (L. 410, 3.^o) Ergo...

Solvuntur difficultates.

92.—Obj. I. Ut potentia objectum suum cognoscat, ipsi uniatur necesse est. Atqui saltem visus et auditus uniri nequeunt corporibus externis, sed tantum speciebus illorum impressis. Ergo eæ constituunt proprium illorum objectum.

Resp.—*Dist. maj.*—Ut potentia suum objectum cognoscat, ipsi uniatur *intentionaliter* necesse est, Conc.: *physice*, subd. *per ejus speciem repræsentativam*, conc.: *per semetipsum præcise*, neg. Et *contradistincta minore, nego consequentiam sub distinctionibus datis*. Sensus externus proprio se objecto unit intentionaliter, actu suo vitali in illud tendendo et attentionem suam in illud convertendo. Præter hanc unionem intentionalem habet aliam, qua cum objecto repræsentative sumpto physice copulatur: physice enim informatur specie tam impressa quam expressa illius, quæ repræsentationes quædam ejusdem sunt. Verum nulla ex his speciebus pertinet ad objectum sensus prædicti; quia utraque habet pro fine proprio et naturali ipsum ordinare et adducere ad directam et immediatam unionem intentionalem illius cum objecto externo.

Inst.—Unio potentiæ cum objecto debet esse physica et non intentionalis tantum: secus enim nulla requireretur approximatio objecti. Ergo...

Resp.—*Neg. assert.* Ad probat. *Dist.*—Nulla requiretur approximatō objecti ut *præcise percipiatur*, *Conc.*: *ut objectum agat in potentiam*, *Neg.* Objectum non solum debet percipi, sed etiam agere in potentiam, ut eam ad sui perceptionem determinet: ad hoc vero ultimum indiget conveniente approximatione ad potentiam juxta dicta in Ontologia de conditionibus requisitis ad causandum (O. 456). Porro, si species non ab objecto sed a Deo solo produceretur, objecta materialia in quacumque distantia a nobis posita perciperemus, ut sapienter observat Suarez (1). Hinc S. Thomas docet angelorum cognitionem indifferenter se habere ad distans et ad propinquum secundum locum; quia angeli non accipiunt species a rebus corporeis, sed a Creatore naturæ (2).

93.—Obj. II. Si corpora immediate in se ipsis perciperemus, sæpe ea videremus in loco in quo non sunt. Sæpe enim esse videntur supra horizontem, quando sunt infra; aut post speculum, cum sint ante illud. Ergo signum est per sensus externos solam commotionem organorum a corporibus productam a nobis percipi; atque ex ea horum corporum existentiam ac distantiam ratiocinando inferri.

Resp.—*Dist. ant.*—Si corpora immediate in se ipsis perciperemus, sæpe ea videremus in loco in quo non sunt, *visione falsa et deceptrice*, *Conc.*: *aliter*, *Neg.* Sensus etiam bene dispositus capax falsitatis est circa distantiam et alias circumstantias, quæ ad objectum illius accidentale spectant, ut optime notat D. Thomas (3). Scilicet quando species impressæ reflexionem aut refractionem aliquam patiuntur, sensus aliter afficitur quam res sit; et exinde sequitur ut nobis eam quoque renuntiet aliter quam est, licet illam directe et in se ipsa percipiat. (4) Simile quid accidit; quando corpora

(1) Suarez, *de anima*, lib. 3, cap. 12, n. 5.

(2) S. Thom. *Summ. Theol.*, I. p. q. 55, art. 2, ad 3.^{um}

(3) Id., *ibid.*, q. 17, art. 2.

(4) Cfr. Suarez, *de anima*, lib. 3, cap. 2, n. 15.

aliqua supra horizontem posita apparent, cum tamen sint infra ipsum.

94 —Obj. III. Si sensationem tactus excipias, cæteræ omnes subjectivæ sunt. Per sensus enim externos nihil nisi colores, sonos, odores, et sapes percipimus: hi vero extra subjectum sentiens meræ molecularum vibrationes sunt, in solo autem objecto sentiente accipiunt rationem colorum, sonorum, odorum et saporum. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.—Ad probat. conc. maj. et disting. min.* Colores, soni, odores et sapes extra subjectum sentiens sunt meræ molecularum vibrationes, *aptæ tamen ad generandum in sensibus externis sensationes quas ipsi patiuntur*, Trans.: *hac aptitudine destituta*, Neg. Hinc *sub data distinctione nego conseq.* Quæcumque sit natura intrinseca coloris, soni, odoris et saporis; semper cæ omnes res sunt aliquid objectivum atque extra subjectum sentiens positum, circa quod versantur sensationes prædictæ: unde mere subjectivæ dici nequeunt. Sensationibus quidem gustus, olfactus et fortasse etiam auditus non tam clare percipitur objectum quam aliis visus et tactus; omnes tamen circa res vere externas versantur, circa corpora nempe sapore, odore, sono, etc. affecta: qualitates enim corporum percipiunt sensus, non in abstracto, sed in concreto, *hoc* nempe album, *hoc* viride, etc.

Inst.—Cæcus a nativitate, quem Chezeldenus londinensis chirurgus curavit, post acquisitum visum initio objecta externa oculis adhærere putabat, et tantum ope tactus colores ad res externa transferre didicit. Ergo signum est sensationes visus ex se non esse nisi pure subjectivas; ac proinde idem asserere possumus de cæteris ad sensus externos pertinentibus.

Resp.—*Trans. ant. et neg. cons.*—Nam sensationes illæ respectu illius cæci nati erant plane novæ et insolitæ: unde nihil mirum eas obscure et confuse ab eo tunc fuisse cognitatas.

cum primo fierent. Præter quam quod confuse omnino repræsentabant objecta, ut ipse Chezeldenus fatetur; et ideo parum aptæ esse poterant ad res prout erant in se recte exhibendas, sed veluti ægri somnia considerari debent.

95.—COROLLARIUM.—*Ergo corpora non percipiuntur in imaginibus ad cerebrum delatis.* Patet consecutio. Nam imagines quæ in hac re fingi possunt, nonnisi officium speciei impressæ exercere queunt. Aliqui sane, videntes res corporeas in oculi retina quasi in camera quadam obscura depingi, imaginem hanc esse objectum proprium visus opinati sunt: vehementer autem eos errare manifestum est. Nam: 1.º Si imaginem hanc aliquo modo perciperemus, hujus certe perceptionis conscientiam haberemus: hoc vero minime accidit. 2.º Imago prædicta parva est et plana; dum e contra objecta oculis a nobis visa magna et voluminosa nobis exhibentur. 3.º Si imago hæc foret objectum proprium visus, res omnes mundi externi inverso ordine apparere deberent; sicut accidit in camera obscura, in qua res inverso ordine depictæ apparent respectu illius quem illæ in se ipsis servant.

§ III.—QUÆNAM SIT NATURA SENSIBILITATIS INTERNÆ.

96.—Necessitatem admittendi in nobis sensibilitatem quamdam internam jam in Logica observavimus (L. 423); ubi diversas etiam hujus sensibilitatis formas sub nominibus *sensus communis* seu *interni*, *imaginationis* seu *phantasiæ*, *æstimativæ* seu *cogitivæ ac rationis particularis*, *memoriæ* denique seu *reminiscentiæ* aliquatenus explicuimus. Restat nunc ut circa naturam illius internam disseramus, quod sequentibus propositionibus perficiemus.

PROPOSITIO PRIMA.

Omnes potentiæ ad sensibilitatem internam pertinentes sunt materiales et organicæ.

97.—*Demonst.*—1.º Omnes potentiæ prædictæ circa objecta pure materialia et concreta versantur, ut ex earum definitionibus patet. Nam *sensus commu-*

nis est *potentia quædam interior cognoscens objecta propria sensuum externorum atque inter illa discernens: phantasia est potentia cognoscere valens sensibilia exteriora in eorum absentia: æstimativa est sensus interior apprehendere potens objecta materialia et concreta sub ratione convenientium vel disconvenientium: memoria denique est potentia cognoscens præterita ut jam cognita, seu apta cognoscere idem quod æstimativa, in objectorum tamen absentia. Atqui potentia cognoscere non valens nisi objecta materialia et concreta materialis et organica est, siquidem inter potentiam et objectum necessario debet dari proportio. Ergo... 2.º Nulla potentia sensitiva interna superat perfectionem belluinam, cum omnes etiam in brutis inveniantur. Sed potentiæ omnes belluarum materiales sunt et organicæ (C. 389). Ergo... 3.º Ipsa phantasia, quæ ratione suæ virtutis quodammodo abstractivæ ad perfectionem intellectus magis accedit, materiali organo indiget ad operandum; ut patet ex defatigatione capitis quam vehemens quævis imaginatio in nobis producit. Ergo... 4.º Sensus communis non discernit inter diversa objecta materialia nisi eorum speciebus informatus; idemque accidit phantasie, æstimativæ ac memoriæ. Ergo omnes eæ potentiæ materiales sunt, sicut species quibus ad cognoscendum indigent.*

PROPOSITIO SECUNDA.

Potentie ad sensibilitatem internam pertinentes sola ratione distinguuntur.

98.—*Prænot.*—Hac in re diversæ sunt opiniones inter auctores. Quidam enim realem distinctionem ponunt inter sensum communem et phantasiam; hanc vero cum æstimativa et memoria confundunt. Alii phantasiam inter ac sensum communem non

piscernunt; æstimativam autem a memoria et has duas potentias a phantasia separant. Alii cum Thomistis contendunt has quatuor potentias realiter inter se distingui. Alii denique cum Suarezio solam rationis distinctionem admittunt, quam quidem sententiam nos probabiliorē censemus (1).

99.—*Demonst.*—Sensus interni, ut optime Suarezius observat (2), non sunt multiplicandi ex eo quod unus possit plura quam alius, sed quod alter alterius actum edere nequeat. Nam si duo fingantur, quorum unus valeat quicquid alius et aliquid amplius, superflue sane hic secundus statuetur, cum primus ad omnia sufficiat. Atqui phantasia, præter actum suum proprium et peculiarem, edere valet actus sensus communis; atque hoc ipsum asserti debet de æstimativa respectu phantasiæ, ac de memoria respectu æstimativæ. Ergo eæ omnes potentiæ in re non sunt nisi unus sensus interior diversas functiones exercens, atque exinde diversis nominibus compellatus.

Prob. min. 1.^a p.—Phantasiæ proprium est repræsentare objecta sensus communis in eorum absentia. Atqui hæc ipsa objecta repræsentare potest in eorum præsentia, seu quando actu agunt in sensus externos, quod est munus peculiare sensus communis. Nam objecta materialia tunc species suas in phantasiam imprimunt, quum in sensus externos actionem suam exercent; phantasia vero talibus speciebus affecta non potest non in eorum repræsentationem erumpere. Ergo... Nec vero dici potest phantasia hæc objecta tunc repræsentare præscindendo ab eorum præsentia: nam phantasia semper repræsentat res ut præsentēs; quod quidem in causa est cur delirantes et somniantes hallucinationes suas patiantur. Hinc illud S. Thomæ: «Imaginatio apprehendit ut plurimum rem ut non est; quia apprehendit eam ut præsentem, cum sit absens (3)».

Prob. min. 2.^a p.—Æstimativa objectum suum proprium percipere nequit, nisi objectum simul phantasiæ apprehendat. Nam sicut sensus communis non potest judicare inter diversa sensibilia, nisi utrumque extremum cognoscat; ita etiam æsti-

(1) Cfr. Suarez, *de anima*, lib. 3, cap. 30, n. 8.

(2) Suarez, *loc. cit.*, n. 11.

(3) S. Thom., *de veritate*, q. 1, art. 11.

mativa nequit cognoscere objectum sub ratione convenientis aut disconvenientis, nisi illud qualitatibus suis naturalibus vestitum repræsentet. Sic *ovis* ex. gr. nequit apprehendere lupum ut inimicum suæ naturæ, nisi illum qualitatibus suis lupinis vestitum percipiat. Ergo æstimativa quoque, præter officium sibi proprium, exercere munera phantasie valet; ac proinde hæc realiter ab illa non differt.

Prob. min. 3.^a p.—Memoria habet vim repræsentandi objecta æstimativæ non solum in eorum absentia, sed etiam quando præsentia sunt et in exteriores sensus agunt. Tunc enim, mediante hac sua actione, speciem ipsorum impressam non minus memoriæ quam phantasie et cæteris sensibus interioribus imprimunt: quo facto, memoria ab illis percipiendis abstinere nequit. Ergo memoria etiam, præter actum suum proprium, edere actus æstimativæ potest; ac proinde hæc duæ potentie a parte rei non sunt nisi una duas diversas functiones exercens.

Solvuntur difficultates.

100.—Obj. I. Fundamentum totius argumentationis in probatione thesicos adhibitæ nullius roboris est: secus enim ipsi sensus externi cum internis confundendi essent; cum hi valeant quidquid illi et aliquid amplius. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—*Ad probationem respondeo negando assertum et paritatem in qua ab adversario fundatur.* Optime ad rem Eximius Doctor: «Neque inferas, superflue jam poni sensus exteriores; cum quidquid illi, (*sensus interior*) possit. Namque in primis non est id simile: sensus enim exteriores sunt quasi particulares virtutes, quibus addi debuit universalis, quæ particulares ipsas roboraret ac de omnibus judicaret: interior autem non occurrit talis necessitas. Respondetur deinde antecedens falsum esse: immutatur enim sensus exterior ab objecto immediate, non internus: atque adeo, quamvis sensus interior cognoscat quidquid exterior, non tamen per immutationem immediatam ab objecto: ideoque fuerunt necessarij externi sensus; quia nisi immutarentur illi, non posset interior potentia quidquam percipere (1)».

(1) Suarez, *de anima*, lib. 3, cap. 30, n. 11.

101.—Obj. II. Sensus communis recipit in se species sensuum externorum, phantasia vero eas conservat. Atqui in rebus materialibus potentia recipiendi est realiter distincta a facultate conservandi: cera enim facile recipit formam extrinsecus impressam, difficile autem retinet; aliæ vero substantiæ difficile recipiunt et facile retinent. Ergo...

Resp.—1.^o *Conc. maj. et transmissa min., neg. cons.*—Immutatio sensuum non est omnino materialis, ut de ea sicut de pure materialibus discurrere oporteat. Hinc in ipsa memoria, quæ facultas retentiva est, multiplex phænomenorum diversitas invenitur, quæ in rebus pure materialibus numquam inveniri solet. Nam quidam bene retinent et male recipiunt, alii et facile recipiunt et feliciter retinent, alii denique et difficile recipiunt et facile amittunt species quocumque labore adquisitas.

Resp.—2.^o *Conc. maj. et neg. min.*—In rebus etiam materialibus potentia retinendi nequit esse distincta a potentia recipiendi; siquidem nulla potentia retinere potest nisi quod prius in se receperit.

102.—Obj. III. Æstimativa manifeste distincta videtur a sensu communi et phantasia. Nam cæ duæ ultimæ potentiæ non apprehendunt nisi res per sensus externos repræsentatas; illa vero percipit rationes convenientis et inconvenientis, quæ sensus externos latent. (Ita Sanseverino in *Dynamil.* part. spec. cap. V, art. I).

Resp.—*Neg. assert. Ad probat. conc. ant. neg. cons.*—Ad realem distinctionem inter duas potentias statuendam non sufficit ut una non possit quod alia, sed oportet ut nulla actus alterius elicere valeat. Secus enim distinctionem realem admittere debemus inter intellectum et rationem; quoniam hæc ex notis ad incognita gressum facit, intellectus autem hoc facere nequit. Æstimativa autem actus phantasiæ elicere valet, sicut et phantasia actus sensus communis. Imo sensum communem etiam ad objecta absentia se extendere in somniantibus expressis verbis fatetur S. Thomas in 1. p. q. 84, art. 4, ad 2.^{um}; et in eadem 1. p. q. 78, art. 4, ad 6.^{um} docet idem sanctus Doctor «visionem quæ fit per similitudines corporum in absentia corporum communem esse omnibus interioribus apprehensionibus». Ex hac vero doctrina manifeste sequitur nostra sententia.

PROPOSITIO TERTIA.

Sedes sensibilitatis internæ præsertim in cerebro reponenda est.

103. — *Demonst.* — 1.º Sensibilitas interna est fons ac radix externæ. Nam, ut optime ait S. Thomas, «sensus interior non dicitur communis per prædicationem sicut genus, sed sicut communis radix et principium exteriorum sensuum (1)». Atqui omnium sensuum externorum radix in cerebro existit; cum ex cerebro orientur omnia eorum organa, et liberam cum eo communicationem habere debeant, ut objecta sentire possint. Ergo... 2.º Læsio cerebri secum fert privationem sensus et motus in animali. Ergo signum est in cerebro fontem sensibilitatis totius et sedem internæ residere. 3.º Ex vehementi attentione lassatur et dolet caput, non autem alia corporis pars. Ergo in capite est organum sensibilitatis prædictæ. 4.º Experiencia ipsa nobis testatur imaginationes in capite efformari: unde et imaginando fatigatur et insomnia in capite fiunt. 5.º Somnus est privatio operationis primi sensorii: atqui somnus in capite causatur: ergo... (2). 6.º Tandem studia Physiologiæ et observationes Clinicæ veritatem hujus propositionis confirmant: omnia enim facta ab earum disciplinarum cultoribus hac nostra ætate observata eo collineant, ut radicem sensibilitatis et motus cujusvis voluntarii in cerebro præsertim esse demonstrent (3).

(1) S. Thom., *Summ. Theol.* 1. p. q. 78, art. 4, ad 1.º^{um}

(2) Cfr. Suarez, *de anima*, lib. 3, cap. 13, n. 4.

(3) Cfr. articulus Doctoris Cuyllits in ephem. *Revue des quest. scient.* mense aprili an. 1880 in lucem editus sub hoc titulo: *L' écorce grise du cerveau.*

PROPOSITIO QUARTA.

Potentia sensitivæ internæ non operantur sub dependentia cujusdam sensus fundamentalis falso a quibusdam philosophis excogitati.

104.—*Prænot.*—P. Tongiorgi cum quibusdam recentioribus opinatur animam humanam sensu quodam sui necessario et essentiali præditam esse, quo ante omnem quamcumque affectionem seu actum se sibi præsentem experitur. Hunc sensum basim et fundamentum omnium animæ facultatum reputat: *sensus quidem interni*; quia si anima ante omnem affectionem non sentit se, nullam affectionem experiri potest ut suam; *sensus externi*, quia hic ita a sensu interno in operando dependet, ut rerum externarum impressiones ideo sentire valeamus, quia ante illas et sine illis perpetuo organa sentimus; *intelligentiæ denique*, quia mens nihil sibi repræsentare potest aut dicere, si se prius non sentiat. Exinde concludit animam, eo ipso quod corpori uniatur, necessario se illi præsentem et unitam sentire ante omnem quamcumque sive sensitivarum sive intellectualium facultatum operationem; quia si se ipsam sentit, necesse est ut sentiat quoque statum unionis in quo est. Notat deinde sensum hunc corporis merito *fundamentalem* dici, quia fundamentum est exterioris sensus ob rationem supra memoratam; quoad rem vero non differre ab eo interiori sensu quem Aristoteles sensum communem appellat, quique est *communis radix et principium exteriorum sensuum*, ut S. Thomas scribit. (Cfr. Tongiorgi, *Psycholog.* lib. 3, cap. 2, nn. 271-286).

Hæc est doctrina auctoris superius commemorati; quam, quia omni ex parte falsam et systemati Scholasticorum ideologico prorsus contrariam censeo, ideo in hac thesi refutare decrevi.

105.—*Demonst.*—Falsa prorsus sunt principia omnia, in quibus doctrina sensus fundamentalis fundatur; ac proinde sensus hic ut purum figmentum haberi debet. Ergo...

Prob. ant.—1.º Falsum est actum se ipsam sentiendi esse animæ essentialem, cum soli Deo sit essentialis sua actio.

2.^o Non solum sensus sui immediatus et ab omni prævia affectione independens non est animæ essentialis; sed ne naturalis quidem dici potest, ut inferius probabitur. 3.^o Falsum etiam est actum prædictum ex sola animæ substantia emanare, ut adversarii existimant; cum substantia animæ non sit nisi principium partiale suorum actuum, ut ex supra dictis patet. 4.^o Falsum pariter est sensationem proprii corporis ab anima sola elici et in ea sola recipi, ut ex supra probatis constat: quod tamen docet Tongiorgi cum suis asseclis (1). 5.^o Falsum præterea est animam eo ipso quod *physice* sibi præsens sit, esse etiam sibi præsentem *in ratione objecti*. Nam ad hoc secundum, præter physicam præsentiam, requiritur ut anima agat in suam facultatem cognoscitivam *per modum objecti*; sicut ad hoc ut oculus sibi præsens sit in ratione objecti oportet ut, præter præsentiam suam, immittat radios sui visivos in suam retinam. Anima autem non agit per modum objecti in suas potentias cognoscitivas ex solo facto suæ existentiae, ut inferius ostendetur. 6.^o Falsum deinde est animam non posse experiri affectiones proprias ut suas, si prius se ipsam non sentiat. Nam anima suas affectiones sentit, non in abstracto, sed in concreto; ac proinde illas experitur *tamquam a se ipsa manantes et in se ipsa receptas*: unde se et suas affectiones sentit *per modum unius*, se quidem propter affectiones et tamquam objectum pure materiale, affectiones vero propter se ipsas et tamquam objectum formale (L. 395). 7.^o Falsum quoque est sensum internum esse basim et fundamentum externi modo a prædictis auctoribus exposito. Nam basis illius ac fundamentum est, quia vis sentiendi ex sensu interno ad externum derivatur; non vero quia prius, quam ille, in actum sentiendi erumpat aut actio ejus sensitiva conditio sit ad actionem externi. Nam experientiam sensibilem internam priorem natura non esse quam externam exinde liquet, quod sensus internus eatenus ad actiones suas perceptivas determinatur, quatenus objecta speciem suam in externum imprimunt, eumque ad ipsorum cognitionem determinant. Nec vero per sensus externos prius sentimus impressiones organicas et deinde externa obje-

(1) Loco citato n. 279, 3.^o et 4.^o

cta, ut falso asserunt auctores memorati; sed impressio organica per modum principii pure activi se habet in ordine ad sensationes externas, et ab illis minime percipitur, ut ex superius probatis patet (91). 8.º Tandem falsum prorsus est intellectum non posse aliquid sibi repræsentare aut dicere, nisi prius se ipsum sentiat. Nam dictio hæc non est sicut ordinaria loquela, quæ ad homines jam prius notos dirigitur; sed in mera objecti notitia consistit, ad quam sufficit ut objectum sufficienter præsens intellectui adsit, illumque sua actione ad ejus cognitionem determinet. Porro intelligentia actibus suis cognoscitivis non ad se ipsam sed ad objectum dirigitur; nec tam quærit secum loqui, quam se ad objecta referre. Eatenus vero per illos sibi loquitur, quatenus in ipsa manent, eamque ad illos experiendos et cognoscendos determinant. Ergo...

106.—Frustra autem P. Tongiorgi contendit «de sensu suo fundamentalis vix aliquid locutus fuisse Aristotelem et Scholasticos (1)», illum vero «quoad rem non differre a sensu communi ab Aristotele et S. Thoma designato». Nam Aristoteles, S. Thomas et Scholastici animam non aliter se ipsam et suum corpus experiri putarunt quam per experientiam illorum actuum, quibus objecta externa cognoscit, quique in ipsa experimentaliter recipiuntur: quod quidem cum sensu illo fundamentalis e diametro pugnat. Nec vero sensus communis ab illis laudatus aliquid commune habet cum hoc rosminiano invento. Nam pro objecto illi assignant, non proprium præcise corpus, cui anima substantialiter unitur, sed omnia objecta sensuum exteriorum (2). Imo Suarezius affectiones corporis, cui anima unitur, in secundario illius objecto collocat (3); et per species, non proprias, sed externi sensibilis, quas veluti modificatas accipit, ab illo percipi probat (4): quæ omnia sensum communem indicant a fundamentalis rosminianorum penitus diversum.

(1) Tongiorgi, *Psychol.* n. 271.

(2) Cfr. S. Thom., *Summ. Theol.* I. p. q. I. art. 3, ad 2.º^{um}; item Suarez, *de anima*, lib. 3, cap. 31, n. 1.

(3) Suarez, *loc. cit.*

(4) Id. *ibid.* cap. 11, nn. 4 et 6.

Solvuntur difficultates.

107.—Obj. I. Sensus actualis sui ipsius est animæ essentialis et a quacumque affectione seu actu independens. Hoc autem posito, necessario debet admitti sensus fundamentalis. Ergo... *Prob. ant.* 1.^o Anima essentialiter habet se ipsam præsentem: aliunde vero inest ei virtus sentiendi se ipsam; et hæc virtus expedita est, quoniam nullum mediat obstaculum inter ipsam et objectum. Ergo., 2.^o Ut anima ab aliqua affectione excitari possit ad se ipsam sentiendam, debet eam experiri ut suam. Atqui nequit eam ut suam experiri, nisi supposito sensu sui, qui ab omni affectione independens existat. Nam ideo illam experitur ut suam, quia sentit illam in se, et se ipsam per eam immutari: hoc autem sentire nequit sine prævio sensu sui jam præexistente. Ergo... (Ita P. Tongiorgi, *Psychol.* n. 275.)

Resp.—*Neg. ant. Ad 1.^{am} prob. Dist. maj.*—Anima essentialiter habet se ipsam præsentem *physice*, Conc.: *objective, seu in ratione objecti*, Neg. Hoc enim secundo modo non se habet præsentem nisi ratione actuum vitalium, per quos experimentaliter afficitur, quique ei essentielles non sunt.

Ad prob. 2.^{am} *Conc. maj. et neg: min.* Et ad argumentum præ hujus probatione allatum respondeo distinguendo hac ratione majorem: Ideo illam experitur ut suam, quia sentit se etc., *percipiendo affectionem et animam per modum unius, et illam quidem formaliter ac ratione sui, hanc vero materialiter et ratione affectionis*, Conc.; *aliter*, Neg. *Et contrad. min., nego consequ.* Anima nostra per sensum quemvis, tam internum quam externum, affectiones subjecti sentit propter se ipsas, subjectum vero propter ejus modificationes. Proinde sensus sui actualis nullo modo potest esse his modificationibus prior, sed necessario esse debet illis posterior et ab illis dependens.

108.—Obj. II. Anima non modo sentit per impressiones in corpore receptas objecta externa, sed ipsum quoque sentiendi actum. At quomodo fieri posset, ut sensationes in organis sentiret aut ad organa referret, si prius, saltem natura, proprium corpus non sentiret ut suum sibi conjunctum? Ergo... (Ita laudatus philosophus *loc. cit.*, n. 278).

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.*—Modus quo id fiat jam explicatus est. Anima scilicet sensationes sentit in concreto, non vero in abstracto. Sentit ergo se ipsam sentientem, seu se et suam sensationem; hanc quidem ratione sui et tamquam objectum formale, se autem ratione sensationis et tamquam objectum materiale. Se ergo et sensationem suam simul sentit; sensus autem sui dependens est a sensu sensationis, sicut perceptio objecti materialis dependet a perceptione formalis.

109.—Obj. III. Ergo si anima omni actu sensitivo ac intellectuali careret, se ipsam non sentiret. Hoc autem absurdum videtur: quia sic, viva cum esset, vita careret. Ergo...

Resp.—Concedo sequelam in hypothesi facta, quæ tamen prorsus negari debet. Nam anima, quamdiu corpus informat, aliqua semper sensatione gaudet, saltem sensatione tactus; cum corpus ejus semper aliquid ab agentibus exterioribus patiatur. Ratio autem, quæ in contrarium adducitur, facilem solutionem admittit. Nam in prædicta hypothesi anima, viva cum esset *vita substantiali, vita accidentali* careret; in quo nullum est absurdum.

PROPOSITIO QUINTA.

Phantasia non eo a sensibus externis distinguitur, quod hi objecta externa percipiant, illa vero eorum imagines; sed quod objecta externa in eorum absentia percipere valeat.

110.—*Prænot.*—Quidam auctores existimant actus imaginationis seu phantasiæ non esse nisi sensationes quasdam tenues et palidas objectorum sensibilium: unde inter ipsos et sensationes externas solam distinctionem accidentalem admittunt, gradus nempe majoris vel minoris claritatis. Alii e contra substantialiter differre autumant; sed contendunt differentiam in hoc versari, ut sensus res externas speculentur, imaginatio vero seu phantasia earum imagines (1). Nobis autem utraque

(1) Ita inter alios Sanseverino, *Dynamil.* vol. I. part. spec. cap. IV, art. IV.

opinio falsa videtur: censemus enim actus imaginationis esse repræsentationes objectorum *abstractivas*, atque hoc modo essentialiter differre a sensationibus externis, quæ sunt repræsentationes *intuitivæ*.

111.—*Prob. 1.^a p.*—1.^o Unusquisque in se experiri potest sensationem alicujus objecti noxii et repræsentationem ejus imaginariam maxime inter se differre; cum primam animus exhorreat, secunda vero sæpe delectetur. Pariter alio prorsus modo nos afficit pulcherrimi alicujus horti visio, aut concentus musici auditio ac harum rerum imaginatio. Ergo fatendum est hos actus essentialiter inter se differre. 2.^o Objectum phantasmatum sunt res absentes, quæ sæpe non existunt: e contra objectum sensationum sunt res præsentis et actu insensum agentes. Sed actus, quorum objecta formalia tantopere differunt, non possunt non esse substantialiter diversi. Ergo...

112.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Si objectum phantasiæ forent imagines objectorum, in has ferretur primaria ejus intentio: siquidem hoc est proprium uniuscujusque facultatis, ut primo et per se in suum peculiare objectum feratur. Atqui, teste experientia, phantasia primo et per se non in imagines fertur, sed in externa objecta. Ergo... 2.^o Phantasia generaliter definitur *sensus interior potens cognoscere sensibilia in eorum absentia*. Atqui si ejus objectum forent imagines rerum externarum, non autem res ipsæ; male hoc modo definiretur. Ergo ex definitione phantasiæ communiter admissa constat eam, non circa rerum imagines, sed circa res ipsas versari. 3.^o Si objectum phantasiæ dicatur esse aliqua imago, explicandum erit quid sit hæc imago, aut in quo ejus natura consistat. Atqui hoc nullo modo explicari potest. Ergo... 4.^o Eatenus solum dici potest phantasia percipere objecta externa in eorum imaginibus, quatenus illorum species recipit et conservat ac per eas in eorum absentia operatur. Sed hoc non confert jus ad dicen-

dum, eam habere pro objecto proprio imagines: nam species non est *id in quo* objecta externa percipit, sed *id quo* ipsa in eorum absentia repræsentat sicut et ipsum phantasma. Ergo...

Solvuntur difficultates.

113.—Obj. I. Quando quis inter delirandum ad res fictas tamquam veras et reales fertur, aliquid objectivum contemplatur. Sed hoc objectivum nequit esse nisi imago quædam. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.*—Hoc objectivum est aliquid reale saltem in suis elementis componentibus, cum imaginatio nullum objectum fingere valeat nisi per species a rebus sensibilibus acceptas: non est tamen actu præsens, et phantasia in hoc decipitur, ut judicet actu præsens objectum, quod forte ne in ipsa quidem rerum natura existit.

114.—Obj. II. Si actus phantasie non versentur circa aliquod idolum præsens sed circa objecta externa, dicendi erunt *abstractivi*. Atqui hoc admitti nequit, siquidem abstractio est proprium et peculiare opus intellectus. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.*—Quoad rationem additam *distinguo*: Abstractio *completa præscindens ab existentia* est opus proprium et peculiare intellectus, *Conc.: incompleta et ab existentia non præscindens*, *Neg.* Apposite ad rem Suarez: «Cognitio abstractiva communis esse potest sensui et intellectui... Interest tamen inter sensum atque intellectum, quod hic præscindere valet existentiam rei puramque essentiam considerare, non item sensus, qui semper concipit rem cum ordine ad existentiam vel præsentem vel præteritam: unde deceptio obrepit, concipiendo scilicet ut existens quod non existit, nisi intellectu corrigamur (1)». Porro ex hac fundamentali sensum inter atque intellectum differentia fit, ut actus phantasie semper repræsentent sua objecta limitibus undequaque circumscripta, actus vero intellectus ea exhibeant

(1) Suarez, *de anima*, lib. 3. cap. 12, n. 8.

omnino illimitata et finibus destituta. Res enim corporeæ, quatenus existentes, semper sunt concretæ et limitibus undique clausæ; quatenus vero ab existentia præcisæ, ut quædam essentia illimitatæ concipiuntur. Hinc phantasia, cum ab existentia in suis conceptionibus præscindere nequeat, objecta sua quantumvis grandia semper necessario limitibus undequaque claudet, morem aliorum sensuum sequendo: in quo materialem et organicam non minus quam reliqui sensus se ostendit.

PROPOSITIO SEXTA.

Memoria sensitiva non solum res materiales olim perceptas sed ipsam etiam temporis præteriti rationem concretam cognoscere valet.

115.—*Prænot.*—Quibusdam philosophis videtur memoria sensitiva non percipere ullo modo rationem temporis, eo quod hoc comparationem involvat quæ solius intellectus propria est (1). Unde memoriam in brutis per simplicem *revocationem cognitionis præteritæ* explicant ope consociationis perceptivum; in hominibus autem per intellectualem *recognitionem* præteriti, quæ sociam habeat sensitivam revocationem prædictam.

Contrariam tamen doctrinam tradunt Aristoteles, D. Thomas, Suarez et generatim omnes Scholastici, quos et nos sequimur.

116.—*Demonst.*—1.º Ratio concreta temporis præteriti est quid materiale et concretum. Atqui res huiusmodi non superant vim cognoscitivam potentiæ materialis, qualis est memoria sensitiva. Ergo.... 2.º In tantum ratio concreta temporis præteriti superaret vim cognoscitivam memoriæ sensitivæ, in quantum involveret formalem et expressam temporis præteriti cum præsentem comparationem: ad hanc enim solam requiritur universalis idea temporis, cujus in-

(1) Ita P. Cuevas, *Psychol.* n. 67, et *Cosmol.* n. 85.

capax est potentia sensitiva. Sed ratio prædicta talem comparationem non involvit, cum comparatio virtualis ad illam sufficiat. Ergo... 3.^o Belluæ cognoscunt relationem concretam mediorum ad finem, ut patet ex actibus æstimativæ, quibus judicant quasdam actiones esse quibusdam finibus convenientes. Ergo pariter cognoscere poterunt rationem concretam temporis præteriti; quia hæc etiam quædam concreta relatio est, et nullam ex se postulat ideam universalem in cognoscente. 4.^o Id confirmatur sapientissimorum philosophorum auctoritate. Nam sententiam a nobis propugnata[m] expresse tradit Aristoteles in libro *de memoria et reminiscentia*; item S. Thomas in *Summ. Theol.* 1. p. q. 78, art. 4, ubi aperte docet rationem præteriti inter res ad memoriam sensitivam pertinentes esse computandam. Pariter Suarezius ait «sensum posse cognoscere præteritum in concreto, seu in actu exercito, considerando scilicet rem, quæ præteriit, non rationem formalem præteriti, sic ut etiam percipit rem præsentem in actu exercito; considerare autem formaliter et signate temporum differentias proprium esse intellectus (1)». Et ita possemus aliorum Scholasticorum testimonia in medium proferre.

117.—Notandum tamen rationem temporis concretam ab intellectu etiam cognosci posse: est enim unum ex singularibus materialibus, quæ ignota intellectui esse nequeunt, cum de illis iudicet ac sententiam ferat. Ad summum quæstio esse poterit utrum illam directe vel indirecte apprehendat; nam circa modum quo hæc potentia singularia materialia cognoscit vehementer disputatur inter philosophos. Sanctus Thomas pro cognitione illius indirecta stetit, neque aliud significare voluit per hæc verba: «Si de ratione memoriæ sit quod ejus objectum sit præteritum, ut præteritum, memoria in parte intellectiva

(1) Suarez, *de anima*, lib. 3, cap. 12, n. 8,

non erit sed sensitiva tantum, quæ est apprehensiva particularium. Præteritum enim, ut præteritum, cum significet esse sub determinato tempore, ad conditionem particularis pertinet (1)».

ARTICULUS V.

De potentiis animæ intellectivis.

118.—Potentiæ intellectivæ sunt *illæ facultates cognoscitivæ per quas a belluis discernimur*. Harum potentialium ratione belluas longe perfectione ac nobilitate superamus: per eas namque ad ordinem plane idealem et suprasensibilem cogitatione assumimus; angelos quodammodo æmulamur, qui sine ulla concretione corporea et existere et operari valent; ipsi denique Deo similes reddimur, qui nos ad imaginem et similitudinem suam creavit, hujusque terrestri globi dominos constituit. Illas nobis realiter inesse apud omnes in confesso est; cum nemo hominum ignoret belluas ideis universalibus destitui, Dei cognitione carere, inventa denique nulla edere posse, hæc autem omnia apud omnes homines reperiri. Naturam igitur earum tantummodo examinare oportet: quod ut assequamur, sensismi falsitas in primis profliganda a nobis est, ut postea indolem, objectum et actus tum intellectus, tum rationis, tum denique memoriæ intellectualis ad trutinam revocemus.

§ I. QUIBUS ARGUMENTIS PATEAT FALSITAS SENSISMI.

119.—Sensismus est *ea quorundam philosophorum doctrina, qua inter sensum atque intellectum essentialis differentia tollitur, solaque graduum diversitas statuitur*. Porro Sensistæ, seu hujus sententiæ fautores contendunt intellectum ac rationem in homine non esse nisi sensum communem et æstimativam brutorum ad quamdam perfectionem adducta; ut exinde concludere possint unum esse interitum hominis et jumentorum, æquamque utriusque conditionem, nihilque nobis timendum aut sperandum post præsentem vitam. Exitiale hoc commentum quod cum dedecore humanæ naturæ ac bonorum morum ruina

(1) S. Thom., *Summ. Theol* I. p. q. 79, art. 6.

per totum terrarum orbem hac nostra ætate miserandum in modum longe lateque diffunditur, a quovis cordato pro viribus oppugnari debet. Sit igitur sequens

PROPOSITIO.

Potentia intellectiva sunt intrinsece inorganice seu materia destituta: unde ut sensitivis superiores haberi debent atque ab illis essentialiter diversæ.

120.—*Prænot.*—In thesi tres partes continentur: duæ autem ultimæ probatione non egent, supposita prima; quia ab ipsis adversariis conceditur potentias prædictas esse aliquo modo sensitivis superiores et ab illis diversas. Omnia ergo argumenta in primæ ostensionem dirigemus.

121.—*Demonst.*—1.º Potentiæ organicae, utpote ex materia compositæ, quæ principium individuationis est (O. 143), non nisi ad materialia et individua naturaliter tendere queunt. Atqui in potentiis intellectivis res e contra accidit: per eas enim apprehendimus objecta tum immaterialia, qualia sunt *Deus, angeli, virtus, justitia, honor*, aliaque sexcenta; tum etiam universalialia, ut *ens, verum, bonum, hominem, equum*, etc. Ergo...

2.º Ipsas res materiales, quales sunt v. gr. *leo, asinus, lapis*, etc., apprehendit intellectus modo plane immateriali, eas universaliter concipiendo et a conditionibus earum individualibus abstrahendo. Atqui ni ipse foret immaterialis et quavis potentia organica superior, non posset dare rebus corporeis talem modum essendi immaterialem et a conditionibus individualibus abstractum, siquidem modus operandi sequitur naturaliter modum essendi. Ergo intellectus est potentia vere immaterialis et quavis organica superior.

3.º Facultas organica: a) nimia objecti actione læ-

ditur et ad suas naturales operationes minus apta redditur; quoniam organum, cui ipsa affigitur, conveniens suum temperamentum amittit: *b*) tali modo passiva est, ut ejus actio ab objecto in eam agente omnino determinetur. *c*) res illas tantum apprehendere valet quæ actionem suam in eam imprimunt. Atqui intellectui contrarium prorsus accidit. Nam: *a*) quo vehementius objectum in eum agit, eo melius illud apprehendit et aptior redditur ad alias res cognoscendas; *b*) in contemplatione objecti non omnino passive se habet, sed in illud reagit per analysim et synthesim, quibus veritates novas invenit et scientiarum ædificium construit; *c*) per cognitionem rerum sensibilium, quæ in illum aliquo modo agunt, in cognitionem rerum insensibilium assurgit, et res apprehendit quæ et materia carent et illam a se positive excludunt.-Ergo...

4.^o Homo virtute potentiarum intellectualium reflexione completa in se redit; ita ut non modo percipere valeat per unam potentiam actus ab alia exercitos, quod et bruta faciunt, sed per unam etiam eandemque cognoscat actus ab ipsa elicitos. Intellectus enim ita in se ipsum redire potest, ut per unum actum contempletur alterum ab ipso emissum: unde et naturam propriorum actuum per alios novos speculatur et se ipsum pro objecto suæ meditationis assumit. Atqui reflexionis hujusmodi plane impotens est facultas organica; tum quia nulla corporis pars pliacari in se ipsam potest, sed una tantum in aliam; tum etiam quia actus sensiles sunt immaterialiores objecto proprio potentiarum organicarum, ac proinde nequeunt ab illis per reflexionem completam attingi (1). Ergo...

(1) Cfr. Suarez, *de anima*, lib. 3, cap. 11, 3.

5.º Objectum intellectus est ens in tota sua latitudine, ut infra ostendetur. Atqui potentia, cujus objectum tanta amplitudine viget, nequit non esse immaterialis et longe superior organicis. Ergo... *Prob. min.* Nam: a) Omnis potentia organica ratione suæ materialitatis et limitationis non potest non esse intra terminos alicujus objecti particularis circumscripta. b) Nullus intellectus, quantumvis purus et ab omni materia remotus, potest versari circa objectum majore latitudine donatum: sed intellectus spiritus puri hoc solum habent præ humano, ut illius objectum altius ac perfectius attingant. Atqui potentiae omnes objectis naturaliter aptantur ac proportionales existunt. Ergo intellectus humanus hoc habet commune cum spiritibus puris, ut materia intrinsece careat; et in hoc solum ab illis vincitur ut, propter modum suum cognoscendi imperfectiorem, minore perfectione gaudeat. c) Omnis cognitio in entibus, ut recte notat D. Thomas (1), ex gradu quodam immaterialitatis exoritur, quo apta fiunt ad recipiendum in se per viam repræsentationis aliorum entium formas. Unde quo immaterialius sit ens aliquod cognoscens, eo plura repræsentare poterit, et vice versa. Atqui intellectus humanus repræsentare omnia entia potest, siquidem ejus objectum est ens in tota sua latitudine sumptum. Ergo est maxime immaterialis, seu materia intrinsece caret. Verum est immaterialitate superari ab angelis et a Deo, quatenus angeli et Deus ne extrinseco quidem auxilio materiæ indigent ad res cognoscendas. Sed hoc ideo evenit, quia angeli et Deus perfectius quam homo res cognoscibiles intel-

(1) S. Thom., *Summ. Theol.* 1. p. q. 14, art. 1.; item *de veritate*, q. 2, art. 2. Cfr. Cardinalis Toletus in *Comment. in 1. p. q. 14, art. 1.*

ligunt et nullo corpore coaugmentati existunt. Anima enim humana, cum infima sit inter formas spirituales seu immateriales, et corpori quodammodo immersa existat; indiget ministerio organorum, ut phantasia intellectui materiam suarum cogitationum subministret.

6.° Si intellectus foret facultas organica, nunquam judicare de rebus posset nisi secundum externas apparentias: omnes enim ejus actiones juxta impressiones organicas fierent, ut accidit sensibus qui hoc modo semper de rebus judicant. Atqui sæpe contra has externas apparentias operatur, errorem sensuum corrigendo. Nam imaginatio ex. gr. apprehendit angelum ut juvenem quemdam alatum, et Deum ut fluidum quoddam per omnes mundi partes diffusum: intellectus vero ab iis objectis quamcumque materiam removet, altiorique modo pernecitatem peninis adumbratam in angelis concipit atque immensitatem divinam sibi repræsentat. Pariter oculus videns solem, eum sesquipedalem judicat, et remum aquæ immersum fractum putat: intellectus autem leges lucis attente considerans, alium prorsus de iis objectis judicium efformat, et solem longe majorem terra ac remum apparenter tantum fractum esse rectissime concludit. Ergo...

7.° Denique libertas qua, teste conscientia, voluntas nostra in suis actionibus gaudet, argumento ineluctabili immaterialitatem intellectus, quo ipsa immediate regitur, aperte confirmat. Si enim voluntas potentia inorganica sit a materia in suis volitionibus intrinsece independens, hac ipsa perfectione ornatus existat intellectus necesse est; nam intellectus et voluntas in eodem gradu spiritualitatis inveniuntur. Atqui voluntatem potentiam spiritualem et prorsus inorganicam esse certo certius constat: potentia enim

quævis organica, utpote materialis et ad unum determinata, necessitate inflexibili agitur et dominium nullum in proprios actus exercet. Qua de causa illi omnes, qui pro materialitate intellectus nostri dimittunt, humanam libertatem ut purum figmentum habent et nos fatalismo subjectos deprædicant. Ergo...

Solvuntur difficultates.

122.—Obj. I. Non minus defatigatur nostrum caput profunda alicujus rei meditatione, quam vehementi illius imaginatione. Ergo non minus organica dici debet facultas cogitandi, seu intellectus, quam phantasia.

Resp.—*Dist. ant.*—Profunda alicujus rei meditatione defatigatur caput *ratione phantasmatum, quæ tunc ab imaginatione elaborantur*, *Conc.: ratione ipsius meditationis, quæ ab intellectu efficitur*. *Neg. Et sub data distinctione nego consequentiam*. In hoc statu unionis intellectus non operatur nisi prævia operatione phantasiæ: hinc pronum est, ut profundam meditationem defatigatio capitis subsequatur, cum toto illo tempore phantasia quoque intense operari debeat.

123.—Obj. II. Dispositiones corporis maxime influunt in actus nostros intellectuales. Sic *homo* ex. gr. obstructionem aliquam in intestinis patiens delirat; obstructione autem hac per pharmacum depulsa, plenum rationis usum recuperat. Atqui in hypothesi intellectus immaterialis hic influxus est plane inexplicabilis, explicatur autem optime in hypothesi contraria a sensistis inducta. Ergo... (Ita materialista Ferrière in opere «L'âme est la fonction du cerveau,» vol. I. pag. 209.

Resp.—*Conc. maj. el nego 1.^{am} partem minoris.*—In doctrina intellectus immaterialis, quæ non hypothesis sed thesis est, et quidem omnino certa, optime explicatur influxus prædictus. Nam cum homo sit quoddam totum physicum et

naturale, viribus constare debet apte inter se ordinatis, ita ut inferiores sint veluti instrumenta superiorum et ad rectam earum operationem inserviant. Hinc dispositiones corporis physicae naturaliter in eo influunt in vegetativas, vegetativæ in sensitivas, sensitivæ denique in rectum et ordinatum exercitium phantasie, ex quo proxime dependet recta operatio potentiarum intellectualium.

124.—Obj. III. Intellectus in formandis suis conceptibus ita a sensibus dependet, ut verum sit illum axioma: *Nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu*. Unde qui *visu* v. gr. aut alio sensu externo orbatus nascitur, ideam coloris aut qualitatis, circa quam ille sensus versatur, comparare sibi nequit. Atqui tanta dependentia aperte indicat intellectum quoque materialem esse. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et dist. min.*—Dependentia tanta aperte indicat intellectum quoque materialem esse *extrinsece*, *Conc.: intrinsece*, *Neg.* In hoc statu unionis sensus sunt veluti fenestræ, per quas intrat lux objectorum in intellectum. Unde quamvis intellectus sit in se facultas inorganica, si lux objectorum ad eum per sensus non intrat, visionem suam immaterialem elicere non poterit. Hoc sensu dicitur esse extrinsece materialis, quia ad operationes suas intrinsece inorganicas requiritur tamquam conditio prævia operatio materialis phantasie et sensuum externorum. Axioma autem laudatum cum mica salis intelligendum est. Non enim significat nullam rem posse ab intellectu cognosci, quin prius cognita fuerit a sensibus. Nam id ne respectu quidem æstimativæ verum est; quæ, licet organica, rationes concretas convenientis et disconvenientis cognoscit sensibus externis ignotas. Significat ergo intellectum non posse naturaliter efformare suas ideas universales et abstractas circa objecta materialia, quin prius hæc ipsa objecta modo imperfectiori cognita a sensibus fuerint: quod quidem non impedit quominus intellectus, intuendo essentiam horum objectorum, alias iterum ideas eliciat et in cognitionem rerum prorsus immaterialium, qualis est *Deus ex. gr.*, deveniat.

125.—Obj. IV. Eandem dependentiam habet respectu phantasie. Nam sine phantasmatibus imaginationis ne circa objecta quidem prius cognita cogitare valet. Qua de causa exercitium rationis in infantibus nullum est, in delirantibus autem et amentibus distortum, in adultis denique et bene valentibus rectum ac bene conformatum. Hoc autem rursus significat intellectum intrinsece organicum esse non minus quam ipsam phantasiam. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.*—Dependentia hæc tantum significat intellectum nostrum, licet spiritualem et inorganicum, non ea immaterialitate gaudere qua spiritus puri, eo quod indigeat auxilio phantasie ut ab illa suarum cogitationum materiam accipiat. Objectum enim intellectus humani immateriale est, utpote universale et a conditionibus materialibus abstractum.

126.—Obj. V. Inter ideas seu conceptus intellectuales et phantasmata imaginationis non major differentia est, quam inter hæc ipsa phantasmata et sensationes externas. Nam si intellectus vi sua abstractiva spoliat suis limitibus objecta per imaginationem representata, eaque sub forma quadam universali et illimatata concipit; imaginatio quoque, simile abstrahendi vi gaudens, objecta per sensus externos apprehensa suis qualitatibus naturalibus denudat et novis formis quodammodo vestit. Ergo intellectus perfectior quidem phantasia est, organicus tamen et ab ea solum graduum differentia separatus.

Resp.—*Neg. ant.*—Abstractio imaginationis semper relinquit suum objectum expresse et formaliter finitum; quia quantumvis objecta nova fingat hæc potentia, semper invenitur in illis relatio formalis ad existentiam et cum ea omnium limitum comitatus, qui sunt individuorum materialium proprii. E contra abstractio intellectus liberat ab omnibus limitibus objecta per imaginationem representata et concipit ea sub forma quadam universali ab omnibus conditionibus individuo-

rum præcisa ac proinde vere immateriali. Hinc imaginatio remanet intra ordinem facultatum sensitivarum et organicarum, intellectus vero ad ordinem spiritualium et inorganicarum spectat.

127.—Obj. VI. Objecta intellectus, licet universalia et a conditionibus individuantibus abstracta, remanent semper materialia, quia exprimunt aliquid materiale: qua de causa objecta positive immaterialia, ut *Deum et angelos*, nonnisi per negationes concipit hæc potentia, ignorando quid proprie sint in se. Ergo, cum aliunde tantopere a sensibus dependeat in eis concipiendis, dicendum est actus illius non esse nisi sensationes quasdam transformatas, ipsum vero intellectum esse potentiam quamdam organicam cæteris perfectiorem.

Resp.—*Dist. ant.*—Objecta intellectus remanent semper materialia *ratione materiæ, circa quam versantur*, Trans.: *ratione formæ, sub qua repræsentantur*, Neg. Forma hæc vere immaterialis est, utpote universalis et a conditionibus individuantibus abstracta. Jam vero perfectio potentiæ ex forma sub qua objecta sua cognoscit proprie dijudicanda est: nam objecta materialia etiam a Deo et ab angelis cognoscuntur, quin horum intellectus desinant esse vere spirituales et immateriales.

QUÆRES: *An intellectus non solum ad primo objectum concipiendum, sed etiam ad utendum specie illius jam acquisita, seu ad illud recogitandum, indigeat operatione phantasie?*

128.—Resp.—Quidam negative respondent his rationibus in-nixi: 1.º Quia phantasia semel habitis speciebus utitur, etiam cum sensus externus non operatur; ut constat ex experientia illorum, qui post amissum organum *visus* ex. gr. adhuc imaginantur res antea per hunc sensum perceptas. 2.º Quia illi qui raptum aliquem seu extasim passi sunt, dicunt se aliquando repræsentatione pure intellectuali vidisse objecta sibi a Deo revelata. 3.º Denique quia intellectus præditus specie plenam

habet jam vim intelligendi, ac proinde motione phantasiæ non eget.

129.—Communis tamen et probabilior sententia cum Aristotele (1), D. Thoma (2) et Suarezio (3) stat pro affirmativa: quæ quidem duplici experimento probatur. Nam primo ex factis observationibus atque experienciis constat, phantasiæ organo deleto aut ejus operatione impedita, intellectum non uti speciebus jam acquisitis; ut cernere est tum in lethargicis et alte dormientibus, tum etiam in iis, qui memoriam intellectivam amittunt, morbo aliquo cerebri delente memoriam sensitivam. Deinde, nullum prorsus objectum concipit intellectus, quin simul imaginatio aliquid corporeum repræsentet, quod objecti illius similitudinem saltem per modum cujusdam symboli gerat: quod quidem non aliud significare videtur nisi necessitatem hujusmodi phantasmatum ad excitandam et determinandam activitatem intellectus.

130.—Hæc autem tanta dependentia non aliunde oritur quam ex ipsa natura intellectus humani, indigentis aliqua excitatione extrinseca ad cogitandum circa quodvis particulare objectum; quæ quidem in statu unionis non nisi per phantasma imaginationis fieri quit, cum imaginatio sit veluti motor ejus proximus ad operandum (4).

131.—Ad rationes in contrarium allatas responderi potest: 1.º Facta probare, intellectum inter et phantasiam paritatem ex hac parte non existere: 2.º Deum virtute sua supernaturali supplere posse influxum phantasmatis; ac proinde facta in secundo argumento allata ad quæstionem hanc ventilandam minime sufficere: 3.º intellectum, etiam specie objecti instructum, indigere aliqua excitatione externa, ut hoc objectum potius quam aliud in determinato temporis momento contempletur, hanc vero excitationem in statu unionis fieri per operationem phantasiæ (5).

(1) Aristot., *de anima*, lib. 3, cap. 7, text. 30.

(2) S. Thom., *Summ. Theol.* I. p. q. 84, art. 7.

(3) Suarez, *de anima*, lib. 4, cap. 7.

(4) Cfr. S. Thom., *Summ. Theol.* I. p. q. 84, art. 7.

(5) Cfr. S. Thom. *Summ. Theol.*, I. p. q. 84, art. 7; item Suarez, *de anima*, lib. 4, cap. 7.

§ II. QUÆNAM SIT INTELLECTUS NATURA, QUODNAM EJUS
OBJECTUM ET QUALES ILLIUS ACTUS.

132.—Tres, ut patet, in præsentè paragrapho proponuntur quæstiones tractandæ. Circa primam longe a veritate aberrant ex una parte *Polygenistæ* recentiores, specificam differentiam inter intellectus diversarum stirpium humanarum statuere conantes; ex altera vero *Averroistæ* ac *Pantheistæ*, eandem numero intelligentiam omnibus hominibus tribuere audentes. Circa secundam quidam cum Angelico Doctore opinantur objectum proprium et directum intellectus nostri esse universale materiale a circumstantiis individuantibus abstractum, singularia vero ab eo non cognosci nisi indirecte per conversionem ad phantasmata. Alii autem e contra cum Suarezio existimant tam singularia quam universalia ad proprium et directum intellectus objectum pertinere, ac directe ab eo percipi. Ad tertiam denique quod attinet, diversa sentiunt auctores circa naturam tum verbi intellectualis, tum etiam iudicii simplicem apprehensionem consequentis. Quænam sit nostra in iis omnibus sententiâ ex sequentibus patebit.

PROPOSITIO PRIMA.

*Intellectus humanus specificè unus et numericè
multiplex in hominibus existit.*

133.—*Prob. I.^a p.*—Omnes quotquot stirpes hominum existunt, conceptibus universalibus gaudent: ut clare ostendunt eorum tum artefacta, tum etiam major vel minor aptitudo ad discendas litteras, scientias et artes, tum denique capacitas civiles progressus faciendi. Atqui natura intellectus ex vi sua producendi conceptus universales dignoscitur, cum per eam homines a belluis secernantur. Ergo, cum in ea specificè omnes homines conveniant, intellectus in omnibus

idem specificè existere dicendus est. 2.^o Omnes cujuslibet generis homines sponte naturæ vitam socialem ineunt, ut mutuis auxiliis se adjuvent; et suas ideas affectusque cum aliis communicare per loquelam gestiunt: quæ quidem omnibus eadem aptitudinaliter est, cum singuli aptitudinem habeant ad discendam linguam cæterorum. Sed hæc nonnisi in entibus ejusdem speciei contingunt, ut cernere est in omnibus animalium classibus, quæ socialiter vivunt. Ergo...

3.^o In tantum statuenda esset differentia intellectuum specifica inter diversas hominum stirpes, in quantum hoc postularet parvitas intelligentiæ, qua quædam ex illis foedantur. Sed parvitas hæc talem differentiam minime postulat. Ergo... *Probat̄ur minor.* a) In omnibus stirpibus memoratis inveniuntur quidam multos ex stirpibus europæis intelligentia non æquantes modo sed etiam superantes. b) Si propter hunc intelligentiæ defectum prædictæ stirpes specie a reliquis differre dicantur, pari modo specie differre antiqui germani et galli ab actualibus dicendi erunt. Atqui hoc absurde prorsus diceretur, cum galli et germani actuales ab antiquis orti sint. Ergo et illud. c) In contraria hypothesi quidam specie differre a suis contri- bulibus dicendi essent. Nam majore distantia separantur ab illis per excellentem suam intelligentiam, quam tota eorum tribus inculta et rudis distat a populis per civilizationem excultis. Hoc autem admitti prorsus nequit. d) Tandem miser et infelix quarumdam tribuum status, ex quo argumenta sua desumunt Polygenistæ ad probandam suam sententiam, non nativæ illarum conditioni, sed degenerationi cui- dam accidentali tribui debet. Hoc enim suadent tum historiæ populorum, ex quibus constat quasdam gentes olim excultas paulatim postea in barbariem inci- disse; tum testimonia sapientum, qui in originibus

antiquitatum investigandis multas curas ingentesque labores posuerunt. Ergo...

134.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Si unus idemque numero intellectus hominum foret, una quoque anima omnium rationalis existeret; siquidem hæc aut cum intellectu realiter identificatur, aut radix ejus ac subjectum est. Atqui anima rationalis uniuscujusque distincta numerice est ab animabus reliquorum: nam sine animarum rationalium multiplicatione numerica existere nequit multiplicitas suppositorum et agentium rationalium, quam oculis cernimus; sed unum tantum suppositum rationale illas omnes intellectiones et volitiones produceret, quas nos diversis tribuimus. Ergo.... 2.^o In hypothesi averroistica unus idemque numero intellectus in omnibus omnium temporum et locorum individuis humanis existeret. Atqui hoc pantheismum spiritualem inducit, juxta quem omnes spiritus particulares ut determinationes et limitationes quædam Spiritus universalis haberi debent; siquidem hac solum ratione tribui potest intellectui prædicto talis modus existendi proprius immensitatis divinæ. Ergo.... 3.^o Si unus idemque foret intellectus omnium, diversitas opinionum prorsus impossibilis foret; nam, cum una eademque substantia spiritualis in omnibus opinaretur, sibi ipsi contraria esse non posset. Sed diversitas opinionum in hominibus omnium oculis patet. Ergo.... 4.^o In hypothesi prædicta unusquisque deberet in se ipso sentire aliorum omnium cogitationes: eæ namque in uno et eodem spiritu reciperentur, qui in omnibus hominibus existeret. Atqui contrarium testatur experientia. Ergo... 5.^o Nec vero cum Averroee dicere licet, intellectum universalem uniri imaginationi uniuscujusque hominis per species cognoscitivas, quæ et phantasmatis et intellectui communes sint: exinde vero enasci, ut illarum tantum

cogitationum unusquisque conscientiam habeat, quæ cum phantasmatis suæ imaginationis copulatæ existunt. Nam cogitationes, non in phantasia, sed in intellectu recipiuntur: ac proinde, si idem sit intellectus omnium, unusquisque omnium prorsus cogitationes in suo intellectu habebit ac necessario sentiet. 6.º Denique, si unus sit omnium intellectus, una quoque erit omnium voluntas; nam facultas appetitiva correspondere debet apprehensivæ. Atqui non unam esse voluntatem omnium aperte ostendit oppositarum volitionum pugna, quæ perpetuo inter homines existit; cum una et eadem voluntas sibi contraria esse nequeat. Ergo... (Cfr. S. Thom. *Summ. Theol.* I. p. q. 78, a. 1 et 2; item q. 79, a. 5).

Solvuntur difficultates.

135.—*Adversus 2.ºm p.*—Obj. I. Si plures ponantur intellectus particulares, plures quoque ideas particulares in illis poni necesse est. Atqui tunc nullæ darentur ideæ universales. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Si plures ponantur intellectus particulares, plures quoque poni debent ideæ *subjective* particulares et *objective* universales, Conc.: *subjective et objective particulares*, Neg. Deinde *contrad. min.*: Tunc nullæ darentur ideæ *subjective* universales, Conc.: *objective tales*, Neg. Idea quævis in se et subjective sumpta necessario debet esse particularis et individualis; cum non sit nisi quidam modus essendi entis cujusdam intelligentis, quod necessario debet esse quid singulare et individuum (O. 136). Solum ergo *objective*, seu ratione modi repræsentandi objecta, vocari possunt universales.

136.—Obj. II. Si ideæ *subjective* particulares atque *individuales* sint, eadem veritas non erit ab omnibus visa, sed unusquisque propriam videbit in suo intellectu latentem: veritas enim nihil aliud est quam

quædam idea alicui objecto conformis et aliquem intellectum informans. Sed veritas ab hominibus visa eadem est pro omnibus. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Si ideæ etc.; eadem veritas *logica* non erit ab omnibus visa, Conc.: eadem veritas *realis seu objectiva*, Neg. *Et contrad. min. neg. cons.* Veritas alia logica, alia realis est: logica intra intellectum existit cum idea confunditur, realis extra intellectum est: de hac vero, non autem de illa loquimur, quando dicimus eandem veritatem ab omnibus videri.

Inst.—Veritas ab omnibus visa et eadem pro omnibus est intra intellectum, non vero extra illum. Nam intellectus intelligendo aliquod objectum fit unum cum ipso: unde illud Aristotelis: *Anima quodammodo est omnia entia* (1). Ergo...

Resp.—*Dist. ant.*—Veritas ab omnibus visa et eadem pro omnibus est intra intellectum *repræsentative*, Conc.: *realiter*, Neg. Omnes quidem sibi in mente repræsentant eadem objecta externa, ac proinde hæc repræsentative eadem in omnibus intellectibus existunt: sed repræsentatio mentalis illorum numero diversa pro unoquoque intellectu est.

Ad rat. addit. *Dist.* Intellectus intelligendo objectum fit unum cum illo *repræsentative*, conc.; *realiter*, Neg. Intellectio est quædam rei intellectæ similitudo: hinc ratione hujus similitudinis intellectus et res intellecta unum quodammodo fiunt; quia eadem forma informantur, specifica scilicet, non vero numerica. Et hoc tantum voluit significare Aristoteles per illa verba supra citata, non autem quod somniant Pantheistæ: quod vel ex illo adverbio diminutive *quodammodo* sapienter ab eo apposito perspici datur; ut nihil interim dicam de toto contextu, qui clarus est.

137.—Obj. III. Cum magister discipulum docet, nullam ideam in eo producit; nam secus scientiam

(1) Aristot., *de anima*, lib. 3, cap. 8, text. 37.

novam in eo causaret: sed solummodo scientiam suam in eum transmittit. Atqui hoc fieri nequit, nisi in utroque unus idemque intellectus existat. Ergo...

Resp.—*Dist. 1.^{am} p. majoris.*—Cum magister discipulum docet, nullam ideam in eo producit *efficienter*, Conc.: *moraliter et directive*, Neg. Quod ad rationem additam *distinguo assertum*: Si magister aliquas ideas in discipulo suo illum docendo produceret, scientiam novam, id est, *collectionem quamdam idearum, antea non existentium*, in eo causaret, Conc.: *objectum ipsum, circa quod ideæ hujusmodi versantur, de novo produceret*, Neg.—Deinde *Dist. 2.^{am} p. majoris*: Solummodo scientiam propriam in discipulum transmittit, *quatenus suis explicationibus facit, ut discipulus cognoscat id ipsum quod ille scit*, Conc.: *quatenus illas ipsas numero ideas, quas in mente sua gerit, in discipuli mentem immittit*, Neg.—*Minorem quoque distingo*: Ni discipulus et magister eundem numero intellectum habeant, fieri nequit *ut ipsæ numero ideæ unius informent quoque mentem alterius*, Conc.: *ut unus producat in alterius mente ideas suis perfecte similes*, Neg. Veritas objectiva, circa quam versantur ideæ subjectivæ tum magistri tum discipuli, una et eadem est; ideæ autem, quibus unusquisque illam contemplatur, sunt singulorum propriæ. Et quidem quas magister in se habet, ipse activitate propria in mente sua producit; quas vero discipulus acquirit, magister non causat nisi moraliter et directive per modum artis, dirigendo illius mentem et quodammodo etiam confortando, ut sapienter docet D. Thomas (1).

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 117, art. 1: ubi ex professo tractat S. Doctor hanc quæestionem: *Utrum unus homo possit docere alium, causando in ipso scientiam.*

PROPOSITIO SECUNDA.

Objectum intellectus nostri adæquatum est ens in tota sua latitudine sumptum; connaturale vero seu proportionatum, in hoc statu unionis, sunt essentiae rerum materiales.

138.—*Prænot.* 1.^o—Objectum intellectus nostri adæquatum illud dicitur, cui ipse aliquo modo se adæquat, illud quomodo-cumque cognoscendo: omnis enim cognitio, quantumvis imperfecta et quomodolibet acquisita quædam adæquatio intellectus et rei cognitæ est. E contra connaturale seu proportionatum illud tantum est, quod per conceptus stricte proprios ab eo vi suæ activitatis naturalis cognoscitur. Conceptus autem stricte proprius vocatur ille, qui rem aliquam in sua propria forma sine ullis negationibus aut analogiis per modum cujusdam intuitionis repræsentat, v. gr. conceptus hominis, equi, lapidis, etc. Cæteri vero, qui rem ope quarumdam negationum aut analogiarum sive etiam per quemdam conceptuum universalium complexum rem aliquam particularem repræsentant, dicuntur late proprii et proprii ex communibus. Talis est v. gr. conceptus Dei, qui naturam divinam non nisi per quasdam negationes et quamdam conceptuum universalium conjunctionem nobis manifestat.

139.—*Prænot.* 2.^o—Dicimus in hoc statu unionis. Nam, cum anima a corpore separata existet, ad modum spirituum vivet; ac proinde modum cognoscendi spirituum æmulabitur et aliud objectum sibi connaturale nanciscetur.

140.—*Prob.* 1.^a p.—Intellectus noster intrinsecam aptitudinem habet ad cognoscendum, saltem imperfecte ac per viam quamdam negationum et analogiarum, quidquid habet rationem entis. Ergo omnes prorsus res, tam creatæ quam increatæ, tam naturales quam supernaturales, pertinent ad objectum ejus adæquatum. Ratio hujus intrinsecæ aptitudinis est: quia ens in genere omnes entium classes sub se comprehendit; ac proin-

de potentia virtutem habens cognoscendi ens in genere necessario pollere debet virtute cognoscendi, saltem imperfecte, omnia particularia entia, quæ entis rationem participant. Hinc modo quodam imperfecto, non solum res materiales et creatas, sed etiam immateriales et divinas intellectione attingimus. Nec ideo divinam perfectionem aut etiam angelicam assequimur; quia, non solum Deus, sed ipsi etiam angeli has ipsas res modo longe perfectiore cognoscunt.

141.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Primaria intellectus nostri tendentia hæc est, ut rei cujuscumque ob ipsius oculos positæ essentiam quærat, investigando *quid sit in se*. Sed primaria tendentia cujuscumque facultatis objectum illius connaturale indigitat. Ergo essentiæ sunt objectum intellectus nostri connaturale. 2.^o Hoc ex ipso nomine, quo communi consensu facultas prædicta ab omnibus hominibus semper appellata est, aperte patet. Nam intellectus originem ducit ab *intus legere*; significat autem virtutem legendi, seu in unum conceptum colligendi illa, quæ in objecto interiora sunt, seu essentiam ejus constituunt. Ergo...

142.—*Prob. 3.^a p.*—1.^o Illæ tantum essentiæ constituere possunt objectum connaturale intellectus nostri quorum individua ei repræsentantur per sensus. Intellectus enim ad intelligendum species suas abstrahit a phantasmatibus imaginationis; et modo abstracto concipit illud ipsum objectum materiale, quod per imaginationem modo concreto exhibetur. Sed essentiæ, quorum individua per sensus repræsentantur, non sunt nisi rerum materialium. Ergo eæ solæ pertinent ad objectum intellectus connaturale (1).

2.^o Deinde hoc ipsum ex natura omnium idearum nostrarum patet. Nam omnes, quascumque ideas habemus, aliquam semper ad res sensibiles relationem dicunt, ut quisque in se ipso experiri potest. Unde illi

(1) Cfr. S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 84, art. 7.

qui nativam alicujus sensus orbitatem patiuntur, ideis universalibus carent ad illius sensus objectum pertinentibus. Atqui, si aliæ essentiæ præter materiales ad objectum intellectus nostri adæquatum pertinerent, illas sine ulla relatione ad res sensibiles perciperemus; siquidem ad illa directe et primario ferretur intellectus absque ulla phantasmatum sensibilibus repræsentatione. Ergo objectum intellectus nostri connaturale non est essentia quævis intelligibilis, sed tantum essentia rei materialis et per sensum apprehensæ.

143.—SCHOLIUM. Cum intellectus noster in substantiarum cognitionem non aliter veniat quam cognoscendo accidentia, quibus ipsæ ornatae existunt; horum accidentium essentiæ propriissime constituere ejus objectum connaturale dicendæ sunt. Verum non in his solis quiescit intellectualis virtus, sed ad ipsarum quoque substantiarum essentias pro viribus penetrare contendit, quatenus substantias ut sustentacula quædam et ut prima accidentium principia interna percipit. Hinc optimo jure essentiæ ipsarum substantiarum materialium objectum connaturale intellectus humani dicuntur constituere; quia accidentium cognitionem appetit intellectus propter cognitionem substantiarum, et ad hanc tamquam ad proprium et principalem terminum pondere ipsius naturæ fertur.

PROPOSITIO TERTIA.

Intellectus humanus primo ac per se non percipit nisi universale; singularia vero percipit quidem, secundario tamen et indirecte, seu per conversionem ad phantasmata.

144.—Prænot.—Sequimur in hac thesi sententiam Divi Thomæ, quam cum Fonseca (1) et Conimbricensibus (2) con-

(1) Fonseca, *in Metaphys. Arist.* lib. 1, cap. 2, quæst. 3, sect. 5.

(2) Conimbricensibus, *in III. lib. Aristot. de anima*, cap. 5, q. 4. art. 3, ubi eam ut magis peripateticam defendunt.

traria Suarezii (1) probabiliorē existimamus. Aliqui hisce nostris diebus ulterius progressi sunt; eamque, saltem quoad substantialia, inter doctrinas certas reponendam esse contendunt (2). Sed hoc non nisi exaggeratione maxima dici potest; nam suareziana opinio pro se habet, non solum Scotum cum suis et Suarezium cum quamplurimis e nostris, sed etiam Richardum (3), Gregorium Ariminensem (4), Ocham (5), Durandum (6), aliosque illustres auctores, et gravibus præterea rationibus fulcitur. Imo ipsi etiam adversarii solidam illius probabilitatem gravissimis verbis fatentur. Sic inter alios magnus Fonseca hæc de illa scribit: «Et quidem, si opinio hæc non videretur plane cum Aristotele pugnare, neque oppositam sententiam amplecterentur omnes veteres et ex recentioribus plurimi viri gravissimi; non nobis forsitan ea displiceret, re ipsa considerata, non quid hic aut ille sentiat. Est enim expedita satis et rationi non parum consentanea. Verum quia non facile rejiciendæ sunt communes receptæque sententiæ, eæ præsertim quæ gravioribus auctoribus probantur; simulque quia proposita argumenta non tantam vim habent, ut solvi non possint; nec vero desunt pro parte opposita, si non necessariæ rationes, certe quam simillimæ vero; non est cur ab ea recedamus (7).»

145.—Prob. 1.^a p. 1.^o—Ex demonstratis in præcedente thesi constat objectum proprium et connaturale intellectus nostri esse rerum essentias. Atqui essentiæ, quatenus tales, præscindunt ab individuis particularibus, atque idcirco sunt vera universalialia absoluta seu directa. Ergo... 2.^o Intellectus noster,

(1) Suarez, *de anima*, lib. 4, cap. 3.

(2) Ita inter alios P. Franciscus Salis Seewis in præclaro suo opere «Della conoscenza sensitiva,» p. 1, cap. 3, art. 9, n. 118; qui prius idem scripserat in ephemer. «La civiltà cattolica,» serie 11, vol. 2, pag. 534.

(3) Richard., *in 2 dist.* 24, q. 4.

(4) Gregor., *in 1, dist.*, 3, q. 1, art. 2.

(5) Ocham, q. 5.

(6) Durand., *in 2, dist.* 8, q. 7.

(7) Fonseca, *loc. cit.*, sect. 4.

utpote immaterialis et incorruptibilis, primo ac per se versari debet circa objecta formaliter immaterialia et incorruptibilia. Sed hæc respectu illius non sunt nisi essentiæ rerum materialium per abstractionem a notis individuantibus præcisæ; siquidem individua harum essentialium sunt formaliter materialia. Ergo...

146.—*Prob. 2.^a p.*—Intellectus noster format propositiones, quarum subjectum est singulare. Atqui non posset eas efformare, nisi singularia aliquo modo vero et reali perciperet: nam relationem extremorum perspicere non potest, quin videat ipsa extrema ad invicem contrapositione. Ergo... Hinc S. Thomas aperte fatetur intellectum nostrum vere cognoscere singularia materialia, dum efformat propositiones similes huic: *Socrates est homo* (1). Unde nullo modo audiendi sunt Cajetanus et Capreolus, qui veram et proprie dictam singularium materialium cognitionem intellectui nostro negarunt.

147.—*Prob. 3.^a p.*—1.^o Ex prima hujus thesios parte constat objectum primarium intellectus nostri essentiis rerum materialium constitui. Ergo singularia non nisi ad secundarium illius objectum pertinere queunt. 2.^o Ad cognoscenda primo et per se singularia jam nobis sensus externos et internos natura providit, hac ratione nos ab angelis distinguens: qui, cum sensibus careant, non nisi per intellectum cognoscere primo ac per se singularia possunt. Sed natura non confert entibus duas facultates distinctas, quibus primo ac per se idem prorsus objectum cognoscant. Ergo...

Nec vero dicas sensum internum in objecta sensuum externorum primario tendere; ac proinde falsam esse hanc secundam rationem a nobis allatam. Sensus enim interior nobis primario datus est, non præcisè ad cognoscenda objecta externorum sensuum, sed ad discernendum inter illa: «ex qua discretione potissime, sunt verba Suarezii (2), sensus communis a philosophis deprehensus est; illa siquidem operatio maxime necessaria est naturæ sensitivæ; nec poterat convenire eidem exteriori sensui, cum ad discernendum inter duo oporteat utrum-

(1) Cfr. D. Thom. *Summ. Theol.* I. p. q. 86, art. I.

(2) Suarez, *de anima*, lib. 3, cap. 30, n. 1.

que cognoscere.» Quia vero hanc discretionem facere hic sensus non poterat nisi cognitis objectis singulorum sensuum exter-
norum, ideo ratione sui objecti primarii cognitio etiam illorum ei concedenda erat.

148.—*Prob. 4.^a p.*—1.^o Si intellectus singularia directe perciperet, illorum cognitio in eo universalium cognitioni præiret: propterea hoc tamquam corollarium ex sua doctrina inferunt adversæ sententiæ fautores (1). Sed contraria prorsus via procedit noster intellectus in rerum cognitione. Ergo... *Prob. min.* Intellectus qui de se est pura potentia, prioritate saltem naturæ prius procedit ad actum imperfectum quam ad perfectum. Sed intellectus noster de se pura potentia est; ideo enim *tabulæ rasæ* comparatur, in qua nihil est depictum: cognitio autem rei in singulari actus perfectior est, quam cognitio ejusdem in genere; quia plures notas potentiæ cognoscitivæ repræsentat. Ergo intellectus noster singularia materialia directe non cognoscit (2). Neque vero dicas, juxta hanc doctrinam, intellectum nostrum, quotiescumque concipit aliquam naturam specificam v. gr. *hominem*, debere prius formare omnes conceptus magis universales, sub quibus natura illa continetur. Nam hoc pro prima tantum conceptuum generatione verum est: postquam enim illos semel formavit, eos jam semper habitualiter habet et nova eorum generatione non eget; sicut ad videndam denuo veritatem quam longo ratiociniorum discursu invenit, non indiget semper totam seriem ratiociniorum contexere.

2.^o Si intellectus singularia materialia directe cognosceret, sciret profecto in quo uniuscujusque singularitas consistit; sicut ex eo quod essentias rerum directe apprehendit, optime novit illud, in quo una ab altera distinguitur. Ejus enim est cognoscere in objecto suo proprio et directo *quod quid est*; ac proinde, si ad objectum ejus directum pertinent singularia, debet posse cognoscere, non solum singularitatem in abstracto, sed etiam quid sit *hæc et illa* singularitas, et per quam rem

(1) Cfr. Suarez, *de anima*, lib. 4, cap. 3, n. 15; Ruvio, *in lib. 3 Aristot. de anima*, cap. 4 et 5, q. 3, n. 117; Losada, *Curs. philos.*, part. 3, disp. 7, cap. 1, n. 18.

(2) Cfr. S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 85, art. 1.

una ab alia discernatur. Atqui intellectus plane ignorat quid proprie sit uniuscujusque individui singularitas, sed solum factum existentiae per sensus renuntiatum cognoscit. Ergo... Optime ad rem P. Quiros: «Licet bene cognoscam hunc Petrum; at nulla ratione distinguerem ab alio habente prorsus eadem accidentia, colorem, locum, etc. Sic non distingo mutationem ovi A in B: et ita intelligo S. Thomam supra negantem intellectui solum cognitionem directam, sed non indirectam singularium (1)». Hinc dicimus quidem nos *cognoscere* singularia, non vero *intelligere*; quia in eorum quidditates penetrare minime valemus.

3.º In sententia adversariorum explicari non posse videtur quomodo efformet intellectus noster conceptus rerum a circumstantiis individuantibus abstractos. Nam species quibus ad cognoscendum movetur, particulares sunt ac de se ad singularia cum suis notis individuantibus repræsentanda cum impellunt: intellectus autem libertate in operando caret et tendentiam speciei, a qua ad actionem suam determinatur, necessario sequitur. Unde cum species ad repræsentanda singularia primo ac per se moveant, hæc tantum repræsentet intellectus necesse est. —Dicit quidem Suarez (2) species singularium partim in repræsentatione convenire ac partim differre, atque exinde intellectum vim habere ad considerandum et quod est commune pluribus individuis et quod ipsis proprium est. Verum hæc explicatio non satisfacit: nam species singularium ex se nihil proprie commune repræsentant, sed tantum multa similia, ut ipse Suarez alibi fatetur (3): ac proinde ex se nonnisi ad plura similia repræsentanda determinare valent. —Nec vero reponi potest intellectum, suppositis iis speciebus plurium singularium similium, determinari a voluntate ad conceptum a notis individuantibus abstractum. Nam neque voluntas talem modum concipiendi intellectui imperare valet nisi prælucente aliqua idea generali boni; quæ proinde ab intellectu formari debuit ante

(1) Quiros, S. I. *Curs. philos.*—De anima, disp, 86, sect. 3, n. 10.

(2) Suarez, *de anima*, disp. 6, sect. 2, n. 14.

(3) Suarez. *Metaphys.* disp. 6, sect. 2, n. 14.

quodvis illius imperium; cum voluntas nonnisi ex amore boni, ut sic, ad bona particularia appetenda moveatur: neque intellectus, specie communi et ad conceptum abstractum natura sua impellente destitutus, voluntati sic imperanti obedire posset. In sententia ergo adversariorum non videtur quomodo intellectus noster vel unum conceptum universalem efformare valeat.

4.^o Natura non solet facere per plura quod potest facere per pauciora, simplicitatem enim ubique amat. Atqui species intelligibiles naturarum communium sufficiunt, ut intellectus phantasmatibus adjutus singularia materialia cognoscat, ut statim probabitur. Ergo...

149.—*Prob. 5.^a p.*—Phantasma imaginationis, quatenus factum quoddam psychologicum est, ab intellectu experimentaliter cognoscitur ope conscientiae; et ratione hujus cognitionis experimentalis aliqualem ei notitiam praebet individui materialis et concreti per illud representati. Sed hanc phantasmatis conscientiam intellectus non habet, quin ad illud attendat seu ad illud se convertat. Ergo intellectus per conversionem ad phantasmata imaginationis in singularium materialium aliqualem cognitionem devenit.

Hinc phantasma, quatenus vices objecti quodammodo tenet, intellectum nostrum ad suum proprium et peculiarem actum determinat, qui in conceptu quodam abstractivo consistit; quatenus vero factum quoddam psychologicum est, per se ipsum intellectui experimentaliter praesens fit, et individui materialis aliqualem notitiam praebet (1).

Solvuntur difficultates.

150.—Obj. I. Materialitas objectorum non impedit, quominus directe cognoscantur ab intellectu per cognitionem abstractivam in representando. Ergo nec etiam impedit, quominus ab eo cognoscantur per cognitionem abstractivam solum in essendo; quia in utroque casu objectum erit materiale, actio vero cognoscitiva spiritualis et immaterialis.

(1) Cfr. S. Thomas, *de veritate*, quaest. 2, art 6.

Resp.—*Conc. ant., neg. cons. et parit.* Ad probat. *Dist. assert.*: In utroque casu objectum erit materiale, *diversis tamen conditionibus affectum*, *Conc.*: *eisdem*, *Neg.* Objectum cognitionis abstractivæ in repræsentando est quidem materiale ratione rei in illo contentæ; sed est simul spirituale ratione formæ sub qua exhibetur; ita ut non possit ab ulla potentia sensitiva et organica attingi, sed potentiam postulet spiritualem. E contra objectum cognitionis abstractivæ tantum in essendo ratione tum rei in eo contentæ tum etiam formæ seu attingibilitatis est vere materiale; ita ut per accidens sit respectu illius ut cognoscatur cognitione spirituali, sed proprie ac per se cognitioni materiali respondeat.

151.—Obj. II. Angeli, cum sint substantiæ spirituales, singularia materialia directe apprehendunt. Ergo idem dici poterit de intellectu humano.

Resp.—*Neg. cons. et parit.* Quod enim in angelo ad unitatem redactum existit, in homine, qui inferioris naturæ est, sparsum et in plures potentias divisum invenitur. (1). Quod si quæras quomodo angeli singularia materialia cognoscant; S. Thomas laudato loco respondet hoc fieri per species ipsis a Deo inditas et tam naturam universalem quam singula individua sub illa contenta virtute sua perfectissima repræsentantes: quod quidem modum intelligendi humanum superat.

152.—Obj. III. Sensus inferiores sunt intellectu, et tamen singularia directe cognoscunt. Ergo a fortiori id ipsum asserendum est de intellectu humano.

Resp.—*Conc. ant., neg. cons. et parit.* «Illud quod potest virtus inferior potest etiam superior, non tamen eodem modo sed nobiliori: unde eandem rem quam cognoscit sensus, cognoscitet intellectus, nobiliori modo tamen, quia immaterialiter: et sic non sequitur, sicut sensus singulare cognoscit, quod intellectus cognoscat. (2)». Quod si dicas cognitionem rei materialis directam intellectui a nobis tributam imperfectiorem esse cognitione sensibili, quia non repræsentat eam in individuo sed tantum in specie; respondebo hoc omnino falsum esse; quia lon-

(1) Cfr. S. Thomas, *Summ. Theol.* 1. p. q. 57.

(2) Id., *de veritate*, q. 2, ad 4.^{um}

ge perfectius est cognoscere essentias rerum materialium quam sola individua percipere. Fatendum tamen est cognitionem harum rerum abstractam esse incompletam: sed ut completa fiat, datum intellectui nostro est, ut cognoscere res materiales in particulari valeat indirecte per conversionem ad phantasmata, ut sapienter observavit D. Thomas (1).

153.—Obj. IV. Intellectus noster non cognoscit singularia materialia directe vel propter perfectionem vel propter imperfectionem. Atqui neutrum dici potest: quia angeli perfectiores sunt homine, belluæ vero imperfectiores, utrisque autem competit cognitio illorum directa. Ergo.

Resp.—*Neg. maj.*—Datur enim medium inter membra disjuncta; in quo præcise continetur ratio cur intellectui humano non insit cognitio dicta: scilicet singularia materialia directe non cognoscit propter perfectionem *admixtam imperfectione*. Si enim perfectionem angelicam attingeret aut intra belluinam hæreret, singularia hæc directe cognosceret: non autem illa hoc modo attingit, quia homo angelo imperfectior est et perfectior bruto.

154.—Obj. V. Intellectus noster habet veros et reales conceptus singularium materialium. Sed per solas species abstractas nequit illos efformare, quia in notione abstracta non continetur cognitio singularium. Ergo.

Resp.—*Conc. maj., dist. min.*—Per solas species abstractas, *sine conversione ad phantasmata*, nequit intellectus singularium materialium veros conceptus efformare, *Conc.: cum conversione ad illa*, *Neg.* Phantasmata, quatenus facta quædam psychologica sunt, intellectum humanum ad aliqualem singularium materialium cognitionem perducunt.

155.—Obj. VI. Si intellectui denegemus cognitionem prædictam, dicere oportebit eum ne ipsa quidem phantasmata cognoscere valere; quia phantasma ipsum est quid materiale et individuum. Ergo...

Resp.—*Dist. ant.*—Ne ipsa quidem phantasmata cognoscere valebit intellectus *cognitione perfecta et quidditativa*, *Conc.: cognitione imperfecta et experimentalis factum quoddam refe-*

(1) Id., *Summ. Theol.* 1. p. q. 84, art. 7.

rente. Neg. Phantasma cognoscitur ab intellectu ut quoddam factum conscientiæ, sicut et alii omnes actus experimentales; atque hac via ad illius essentiam rimandam aliquo modo assurgit.

156.—Obj. VII. Phantasma ad summum præbebit notitiam alicujus individui possibilis, quia existentiam realem individuum non refert. Ergo saltem per conversionem ad illud non poterit intellectus noster propositiones de singularibus actualiter existentibus efformare.

Resp.—*Dist. ant.*—Phantasma *solum*, Conc.: *sensationibus conjunctum*. Neg. Sensationes tam internæ quam externæ existentiam actualem individui per imaginationem representati referunt: sensationes autem facta quædam psychologica sunt; et quatenus talia, conscientiæ hominis intellectuali patent.

157.—Obj. VIII. Phantasma ducit intellectum in cognitionem singularium vel per modum objecti vel per modum speciei intelligibilis. Si *primum*; intellectus non contemplabitur nisi pura phænomena subjectiva. Si *secundum*; res materialis, qualis est phantasma, aget in intellectum spiritualem. Atqui utrumque est inconueniens. Ergo...

Resp.—*Neg. maj.*—Phantasma non ducit in cognitionem singularium per modum objecti visi aut per modum speciei intelligibilis, *sed per modum puri facti psychologici*. Si primo modo duceret, in idealismum incideremus: si secundo, intellectus singularia quidditative et directe cognosceret: solus tertius confert intellectui cognitionem indirectam et non quidditativam singularium materialium.

PROPOSITIO QUARTA.

Intellectus in omni intellectione, tam intuitiva quam abstractiva, format verbum quoddam ideale; quod quidem non est imago in qua objectum, tamquam in speculo contempletur, sed ipse actus cognoscitivus, quo immediate et directe ad illud fertur.

158.—*Prænot.*—Cajetanus cum aliquibus e schola dominicana opinatur intellectum nostrum in omni cognitione abstractiva efformare quamdam objecti imaginem, *verbum mentis* appellatam; ad quam deinde attentionem suam convertit, ut in ea

tamquam in speculo illud contempletur: in cognitionibus autem intuitivis hanc verbi mentalis productionem non fieri, quoniam objectum cognoscendum jam est intellectui sufficienter præsens ipsique immediate per se ipsum uniri potest. Ex qua Cajetani doctrina sequitur visionem Dei, quam beati habent in cœlo, esse puram actionem sine termino ab ea distincto, omnes autem intellectiones nostras esse cognitiones objectorum mediatas, quibus objecta non in se ipsis sed in eorum imaginibus contemplamur. Hanc Cajetani opinionem hac nostra ætate insignis in Hispania nostra Balmes amplexus est, repræsentationem objectorum mediatam defendens (1), et exinde in quæstionem famosam *de ponte* indeclinabiliter incidens; quam ut solveret, ad instinctum reidianum confugere coactus est (L. 370). E contra Scotistæ cum Scoto (2) et nostri communiter cum Suarez (3), verbum mentis in omni intellectuali cognitione produci tenent (4), illudque ipsum actum intelligendi esse contendunt: unde repræsentationem objectorum immediatam tuentur et quæstionem *de ponte* inter figmenta imaginationis recensent: quod et nos in enuntiata propositione demonstrare intendimus.

159.—*Prob. 1.^a p.*—Intellectus intelligendo non mere passive se habet, sed veram actionem exercet. Atqui repugnat actio, qua nihil efficitur; cum actio, qua nihil agatur, non sit actio. Ergo intellectus in omni sua intellectione actum quemdam cognoscitivum producit, qui *verbum mentale* nuncupatur.

(1) «Es la idea, scribit in sua *Philosophia fundamentali* (l. 1, c. 11, n. 116), un espejo, que será tanto más perfecto, cuanto más perfecta produzca su ilusion. Es necesario que presente los objetos solos á conveniente distancia, sin que el ojo vea nada del cristalino plano que los refleja».

(2) Apud Mastrium, *de anima*, disp. 6, sect. 3.

(3) Suarez, *de anima*, lib. 3, cap. 5: item *Metaphys.* disp. 8, sect. 4, n. 2, et disp. 48, sect. 2.

(4) Aliqui tamen, ut Toletus (*in 1. p. q. 27, art. 1. Quæst. I, propos. 1.^a*) et Losada (*de anima*, disp. 8, cap. 1), negant per ullam intellectionem produci verbum modaliter ab ea distinctum, contententes ipsam hanc actionem esse formaliter verbum et repræsentationem objecti.

Neque vero dicas intellectionem actionem immanentem esse, actiones vero immanentes termino carere a se ipsis distincto. Nam, si intellectio vera actio est, terminum habeat ab ea productum ac proinde modaliter distinctum necesse est; cum nihil producere se ipsum possit: immanens autem ideo dicitur, quia terminus per eam effectus in ipso agente manet, actionem namque in termino esse necesse est.

Nec reponas argumentum factum ad summum valere pro intellectione abstractiva, quæ circa objectum absens versatur; non autem pro intuitiva, quæ objectum sibi præsens habet. Nam argumentum ex ipsa natura intellectionis, ut sic, desumitur; ac proinde tam pro intuitiva quam pro abstractiva valere dicendum est. Hinc D. Thomas, de intellectione intuitiva loquens, hæc scribere non dubitavit: «Quicumque autem intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiva proveniens et ex ejus notitia procedens. Quam quidem vox significat, et dicitur *verbum cordis* significatum verbo vocis (1).» Et S. Anselmus intellectioni intuitivæ, qua anima se ipsam cognoscit, verbum productum assignat, hæc scribens: «Nulla ratione negari potest, cum mens rationalis se ipsam cogitando intelligit, imaginem ipsius nasci in sua cogitatione, imo ipsam cogitationem sui esse suam imaginem, ad sui similitudinem tamquam ex sui impressione formatam (2).»

160. *Prob. 2.^a p.*—1.^o Si intellectus objecta in verbo tamquam in imaginè videret, non posset non hoc verbum aliquo modo apprehendere, dum ad eum attentionem suam converteret. Hoc enim in ipsis oculis experimur; qui, non objectum tantum in speculo reflexum, sed ipsum etiam speculum apprehendunt. Atqui nihil hujus rei accidit, teste conscientia et fatentibus ipsis adversariis. Ergo...

2.^o In prædicta hypotesi non modo quocumque sed clarius etiam deberemus verbum apprehendere quam objectum in eo repræsentatum: verbum enim intuitive cognoscere deberemus, objectum vero abstractivè. Atqui hoc minime accidit. Ergo...

(1) S. Thomas, *Summ. Theol.* 1. p. q. 27, art. 1.

(2) S. Anselmus, *Monolog.* cap. 33.

Nec vero dicat Cajetanus hoc ideo evenire; quia verbum, non in ratione entis physici sed puræ imaginis apprehendimus. Cum Toletus enim respondebimus: «Impossibile est quod respiciatur imago ut imago, quin respiciatur entitas illa, quæ imago est, ut cuilibet est notum (1).» Et cum Suárezio addeamus: «Qualitas illa, seu verbum, est essentialiter similitudo, et e contra similitudo illa est essentialiter qualitas: impossibile ergo est intelligi verbum ut similitudinem, et non ut qualitatem. Unde, quando per actum reflexum de verbo agimus, ipsum cognoscimus secundum utramque rationem (2).»

3.º Si vera foret Cajetaní sententia, non proprie objecta sed eorum imagines intellectu perciperemus. Atqui hoc falsum prorsus est, ut ex demonstratis in Logica contra Reidianos constat (L. 368) (3). Ergo...

161.—*Prob. 3.ª p.*—Cognoscere nihil aliud est quam vitaliter operari, idealiter repræsentando rem ipsam cognitam. Sed repræsentatio hæc idealis vocatur verbum intellectus. Ergo actio qua producimus verbum, est ipsa rei cognitio: ac proinde verbum est ipse actus cognoscitivus, quo directe et immediate intellectus ad rem cognitam refertur. Ideo a S. Thoma productio verbi dicitur «rei notitia (4)»; quia nempe illa est cognitio *in fieri*, verbum vero ex ea procedens est cognitio *in facto esse*.

Solvuntur difficultates.

162.—*Contra 1.ªm p.*—Obj. I. Actio intellectiva formaliter in se est cognitio. Sed cognitio dicitur verbum. Ergo ipsa actio intellectiva in se est verbum, ac proinde redundat omne aliud verbum per eam productum.

Resp.—*Dist. maj.*—Actio intellectiva in se est formaliter cognitio *inchoata, seu in fieri*, Conc.: *perfecta, seu in facto esse*,

(1) Toletus, *in 1. p. Summ. Theol.* q. 27, art. 1. Quæst. I. *prima concl.* argum. 3.º

(2) Suárez, *de anima*. lib. 3, cap. 5. n. 17.

(3) Cfr. S. Thomas, *cont. gent.* lib. 4, cap. 11, § *Principium autem*.

(4) Id., *Summ. Theol.* 1. p. q. 27, art. 1.

Neg. *Et contrad. min., neg. cons. sub distinct. data.* Actio omnis est via ad terminum, qui modaliter distinctus ab illa esse debet. Proinde intellectio, cum sit formaliter actio, nonnisi ratione verbi per eam producti cognitio perfecta dici potest.

163.—Obj. II. Si actio intellectiva habet terminum a se modaliter distinctum, idem de volitione asserendum erit. Sed hoc plane intolerabile est, ut ait Toletus. (1). Ergo...

Resp.—*Conc. maj., neg. min.*—Quod Toletus intolerabile reputat, expressis verbis docet S. Thomas dicens: «Secundum operationem voluntatis invenitur in nobis quædam alia processio, scilicet processio amoris, secundum quam amatum est in amante; sicut per conceptionem verbi res dicta vel intellecta est in intelligente (2)». Neque aliquid valet argumentum, in quo præclarissimus Purpuratus assertionem suam fundat, dicendo actiones immanentes termino carere a se ipsis distincto. Nam actiones etiam immanentes terminum habent, non quidem realiter, sed tamen ex natura rei ab illis distinctum, ut cum Suárezio in Ontologia ostendimus (O. 478).

164.—Obj. III. Saltem productio verbi negari debet cum agitur de intellectione intuitiva; tum quia tunc objectum per se ipsum est præsens intellectui et non indiget specie vicaria, quæ illud suppleat; tum quia secus beati in cælo viderent Deum in imagine quadam illius creata, quod omnino repugnat. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. 1.^{am} *neg. suppositum.* Verbum enim non ad supplendam præsentiam objecti, ut argumentum supponit; sed ad hoc ut intellectus per illud formaliter et directe ad objectum referatur necessarium est, ut ex demonstratis constat. Jam vero relatio intellectus ad objectum in quocumque casu ponenda est, sive objectum sit absens, sive sit præsens. Hinc productio verbi est absolute necessaria ad omnem cognitionem.

Ad rat. 2.^{am} *negatur sequela.* Verbum enim non est imago in qua objectum videtur, sed qua potentia cognoscitiva in objectum cognitum refertur.

(1) Toletus, in 1 p. *Summ. Theol. Divi Thomæ*, q. 27, art. 1. Quæst. I, concl. 1.^a arg. 6.^o

(2) S. Thom., *Summ. Theol.* 1. p. q. 27, art. 3.

Inst.—Ipsa imago, qua potentia intellectiva ad Deum referatur intellectualiter visum, repugnat: nam nulla vera imago creata Essentiæ divinæ increatæ dari potest. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad probationem quod attinet, *distinguo assertum*: Nulla imago *stricte dicta*, Conc.: nulla imago *metaphorica et lata*, qualis est omnis cognitio, Neg. Cognitiones non sunt imagines objectorum nisi metaphoricæ et improprie tales: vocantur enim imagines, quia informando potentiam cognoscitivam referunt eam ad objectum; quod non est nisi similitudine quadam munus imaginum materialium implere.

165.—*Contra 2.^{am} p.*—Intellectus, ut cognoscat objectum, debet ei uniri et unum cum eo fieri. Sed, quando est absens, ut accidit in omni cognitione abstractiva, non potest ei uniri immediate et unum cum ipso fieri. Ergo tunc debet prius producere intellectus verbum, quod vices objecti gerat, ut deinde illi tanquam imagini uniatur.

Resp.—*Dist. maj.*—Intellectus, ut cognoscat objectum, debet ei uniri *intentionaliter* et unum cum eo fieri *repræsentative*, Conc.: debet ei uniri *physice* et unum cum eo fieri *realiter*, Neg. *Et contr. dist. min., neg. cons.* Unio potentiæ cognoscitivæ cum objecto, non physica, sed intentionalis est, nisi agatur de ipso intellectu cognoscendo. Ad unionem autem intentionalem nulla prævia idoli cujuslibet productio necessaria est; sed sufficit actus cognoscitivus actu informans potentiam, eamque hac informatione et actu ad objectum referens (1).

(1) Cfr. Suarez, *de anima*, lib. 3, cap. 5. n. 17.

PROPOSITIO QUINTA.

Judicium est actus quidam ab intellectu elicitus; et quidem simplex et a collectione simplicium apprehensionum distinctus; ab illis tamen intrinsicè dependet; vereque ac proprie cognoscitivus existit.

166.—*Prænot.*—Propositio continet quatuor partes, quarum prima est contra Cartesium, ejusque asseclas dicentes judicium esse actum a voluntate elicatum. In secunda sententiam defendimus cum communi recentiorum tenentem judicium in se actum quemdam simplicem esse, non vero complexum plurium actuum, quemadmodum Suarez (1), Vazquez (2), et alii antiqui docuerunt. In tertia adversus Reidianos et Cousinianos dicimus omne judicium, tam immediatum quam mediatum prævia rerum judicatarum apprehensione indigere. Quarta denique illos ferit, qui cum de Benedictis (3), Cuevas (4), Tongiorgi (5) et aliis putant judicium non esse actum vere et proprie cognoscitivum sed simpliciter rei jam perceptæ assertivum.

167.—*Prob. 1.^a p.*—1.^o Judicium est actus circa verum. Atqui actus circa verum versantes ab intellectu non autem a voluntate eliciuntur; cum verum non

(1) Suarez, *de anima*, lib. 3, cap. 6, n. 5.

(2) Vazquez, *Comment. in 1. 2. D. Thomæ*, disp 79, cap. 3.

(3) «Actus hic, scribit in suæ *Philosophiæ peripateticæ* tom. I, lib. 3, q. 2, cap. 1. propos .2., de novo elicatus ab intellectu judicante non est cognoscitivus seu expressivus objecti».

(4) «Judicium, inquit, est mentis actus, quo de re quapiam aliquid affirmamus aut negamus (*Logicæ* n. 25).» «Judicium nullam menti cognitionem addit, nisi sui conscientiam (*Psychol.* n. 61)».

(5) «Poteritne, scribit in *Psychol.* n. 492, 3.^o, compositio hæc (*judicium*) dici cognitio? Poterit, sane, si cognitionem *latisime* sumas pro actu, quo mens aliquod verbum exprimit».

hujus sed illius objectum sit. Ergo... 2.^o In judiciis dantur veritas et falsitas. Atqui in actibus voluntatis non veritas et falsitas sed bonitas tantum et malitia reperiuntur. Ergo judicia non voluntatis sed intellectus sunt actus, qui veri vel falsi ratione judiciorum esse possunt. 3.^o Judicium est actus quidam cognoscitivus seu veritatis expressivus. Sed cognoscere intellectus est, non voluntatis. Ergo...

168.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Judicium est notitia quædam comparativa, qua cognoscimus et exprimimus relationem identitatis aut discrepantiæ inter duo extrema existentem. Sed notitia relationem duorum extremorum exprimens non potest non exprimere ipsa quoque extrema, cum in ipsa relationis notione extremorum notio contineatur. Ergo judicium in se, non collectio quædam actuum, sed actus unus et simplex est, quo relationem et extrema per modum cujusdam totius exprimit intellectus. 2.^o In tantum dicendum esset judicium ex variis actibus intrinsece componi, in quantum intellectus uno actu non posset percipere extrema (1). Atqui intellectus potest illa uno actu percipere: postquam enim per simplices apprehensiones singula ex illis consideravit, potest actu novo utraque simul *ut partes cujusdam totius* cognoscere. Ergo... Ad rem S. Thomas: «Quando intellectus intelligit differentiam vel comparisonem unius ad alterum, cognoscit utrumque differentium vel comparatorum sub ratione ipsius comparisonis vel differentiæ, sicut dictum est (*in solut. præced.*) quod cognoscit partes sub ratione totius (2)».

(1) «Intellectus, arguit Suarez (*de anima*, lib. 3, cap. 6, n. 5), cognoscere nequit connexionem extremorum, nisi cognoscendo extrema eodem actu: sed extrema nequit cognoscere simplici actu: ergo neque ipsam connexionem.»

(2) S. Thom., *Summ. Theol.* 1. p. q. 85, art. 5, ad 4.^{um} Cfr. Hurtado, *curs. Philosoph.*—De anima, disp. 7. sect. 2.

169.—*Prob. 3.^a p.*—1.^o Intellectus noster est facultas quædam a potentia in actum transiens, et ab actu incompleto ad actum completum: cum enim ad animam pertineat, quæ est forma quædam per se subsistens incompleta, longe imperfectior est angelico et ad essentialium cognitionem non nisi per varios actus successivos pervenire valet. Atqui simplex rei alicujus apprehensio est actus imperfectior judicio circa ipsam versante: in prima enim veritas non nisi inchoate et imperfecte continetur, in secundo vero plene et perfecte (L. 276). Ergo intellectus, ut circa rem aliquam judicium instituat, debet prius eam simplici apprehensione attingere (1).

2.^o Ipsa experientia nos docet intellectum nostrum non posse de rebus judicium suum pronuntiare, quin prius rem judicandam simplici apprehensione consideraverit; sicut judex, ante quam sententiam ferat, totam rei quæstionem et singulas ejus partes investigat. Ergo...

170.—*Prob. 4.^a p.*—1.^o Judicium est actus quidam intellectivus. Atqui actus intellectivus, quo nihil intelligitur, pura chimera est. Ergo... 2.^o Judicium est actus, quo intellectus sibi loquitur prædicatum aliquod alicui subjecto convenire vel ab eo discrepare. Sed intellectus non sibi loquitur nisi efformatione conceptus, quo formaliter rem cognoscit, quique *verbum mentis* appellatur. Ergo judicium est actus vere et proprie cognoscitivus. 3.^o Veritas et falsitas non inveniuntur plene nisi in judicio, ut in Logica ostensum est (L. 278). Atqui veritas et falsitas sunt proprietates actus vere ac proprie cognoscitivi: sola enim cognitio vera et falsa nominatur. Ergo... 4.^o Si assensio et dissensio, in quibus omnium consensu judicii natura consistit, non sint actus vere ac formaliter cognoscitivi; in quadam mentis inclinatione ad verum per simplices apprehensiones propositum reponendæ erunt. Atqui, hoc posito, jam veritas et falsitas non erunt proprie in judicio, sed in apprehensione complexa illud præcedente. Nam apprehensio hæc sola exprimit ra-

(1) Cfr. S. Thom. *loc. cit.* in corpore articuli.

tionem conformitatis vel difformitatis, in quibus veritas et falsitas consistunt: secus vero inclinatio mentis illam sequens; cum hæc exprimat rationem impulsus, non vero imaginis aut repræsentationis idealis. Ergo... 5.^o Intellectus, ut optime ait S. Thomas (1), veritatem proprie non cognoscit nisi dum judicat: tunc enim solum videt conceptum suum esse rei conceptæ conformem. Sed hoc minime accidere potest, si iudicium non sit actus vere cognoscitivus; actu enim non cognoscitivo nihil cognosci potest. Ergo... 6.^o In hypothese adversariorum iudicia cæca a Kantio et Reidio propugnata non forent absolute impossibilia, sed e contra sæpe contingerent: quoniam intellectus, quotiescumque iudicaret ex imperio voluntatis, vere ac realiter assereret aut negaret conformitatem, quam minime perciperet. Et sane, P. Tongiorgi adversariorum partes sequutus, ut sibi constaret, veritatem hanc non obscure fassus est: atque hoc solum contra Reidium probare studuit, iudicia huiusmodi cæca illegitima esse, seu ex animi temeritate et levitate procedentia (2). Atqui hoc minime admitti potest: posita enim intrinseca possibilitate talium iudiciorum, Reidiani dicere poterunt intellectum pondere suæ propriæ naturæ ferri ad cæce affirmandas veritates fundamentales, sicut impulsu voluntatis actus iudicia cæca circa alias secundarias pronuntiat. Ergo.... 7.^o Denique id auctoritate summorum Philosophorum confirmari potest. Nostram enim sententiam tenent S. Thomas (3), Suarez (4), Vazquez (5), et alii Scholastici quamplurimi.

Solvuntur difficultates.

171.—*Contra 1.^{am} p.*—Obj. I. Iudicium est assensus quidam vel dissensus mentis. Sed assentire et

(1) S. Thom., *Summ. Theol.* 1. p. q. 16, art. 2.

(2) Cfr. Tongiorgi *Psychol.*, lib. 3, cap. 10, art. 4, n. 594.

(3) *Summ. Theol.*, 1. p. q. 16, art. 2.

(4) *De anima*, l. 3. c. 6. n. 4; item *Metaphys.* disp. 8, sect. 4, n. 5.

(5) In 1. 2. D. Thomæ, disp. 79. cap. 3.

dissentire voluntatis est. Ergo iudicium est actus voluntatis.

Resp.—*Conc. maj., dist. min.*—Assentire et dissentire voluntatis est *assensu et dissensu versantibus circa bonum*, *Conc.*: *assensu et dissensu versantibus circa verum*, *Neg.* Assentire et dissentire, ut notat D. Thomas (1), indifferenter de intellectu et voluntate dicuntur, quamvis magis proprie pertineant ad intellectum. Iudicium autem assensus est semper *elicitus* ab intellectu, quamvis aliquando *imperatus* a voluntate: versatur enim circa verum.

Inst.—Atqui iudicium versatur proprie circa bonum: nam iudicium est quies quædam mentis scire cupientis. Ergo...

Resp.—*Neg. min. subs.*—Ad probat. *dist.*: Iudicium est quies quædam mentis, *id est, animæ* scire cupientis, *Conc.*: *voluntatis*, *Neg.* *Et sub data distinct. neg. cons.* Voluntas proprie non cupit scire, sed ut anima per intellectum sciat: quoniam hoc etiam illi bonum est, ut intellectus intelligendo perficiatur. Anima utique cupit scire; cupit autem per voluntatem et scit per intellectum. Imo ipse intellectus suo modo cupit scire et complacet in scientia acquisita: sed desiderium hoc et hæc complacentia metaphorice tantum dicuntur, ad indicandum connaturalem proportionem hujus potentiae ad suam propriam perfectionem.

172.—*Contra 2.^{am} p.*—Obj. II. Non possumus apprehendere simplici actu propositionem, ut de negativis clarius elucet: ergo nec de illa iudicare, neque videre conformitatem vel difformitatem prædicati ad subjectum nisi actu complexo. (Ita Suarez, *de anima*, l. 3. c. 6. n. 5).

Resp.—*Dist. ant.*—*Si non prius per distinctos actus subjectum et prædicatum illius percepta fuerint*, *Conc.*: *si prius per actus distinctos subjectum ac prædicatum illius perceperimus*, *Neg.* Intellectus noster in cognoscendis

(1) *Summ. Theol.* 1. 2. q. 15, art. 1, ad 3.^{um}

propositionibus gradatim procedit: prius enim percipit conceptu absoluto per distinctos actus quidditatem subjecti et quidditatem prædicati, et deinde per alium actum apprehendit conceptu relativo hæc ipsa objecta sub ratione conformitatis vel difformitatis, ut supra cum Doctore Angelico explicuimus.

173.—*Contr. 3.^{am} p.*—Obj. III. Si iudicium quodvis ex præexistentibus simplicibus apprehensionibus dependeret, simplex apprehensio prior esset iudicio. Atqui contrarium prorsus accidit. Ergo... *Prob. min.* Intellectus non efformat conceptus rerum nisi illas percipiendo, *ut quibusdam proprietatibus præditas.* Sed percipere rem, ut quibusdam proprietatibus præditam, est aliquid de ea iudicare. Ergo...

Resp.—Conc. maj., neg. min.—Ad *prob. dist. assert.*: Intellectus non efformat conceptus rerum *perfectos*, nisi illas percipiendo ut quibusdam proprietatibus præditas, *Conc.: imperfectos*, *Neg.* Ante quam mens percipiat rem aliquam sub conceptu relativo et perfecto, quo formaliter et expresse proprietates ejus ab ea distinguit eique attribuit, debet eam percipere sub conceptu absoluto et imperfecto, quo eam et ejus proprietates per modum unius et confuse apprehendit. Jam vero hic secundus conceptus simplex rei apprehensio est.

Inst.—1.^o Intellectus in ipsa quidditatum apprehensione, quæ primum ejus objectum constituunt, iudicium efformat. Nam, ut optime ait D. Thomas (1), «intellectus incomplexus, intelligendo quod quid est, apprehendit quidditatem rei in quadam comparatione ad rem; quia apprehendit eam ut hujus rei quidditatem.» Ergo primus actus intellectus circa quamcumque rem est iudicium.

Resp.—Dist. ant.—Intellectus in ipsa quidditatum apprehensione iudicium *implicitum* efformat, *Conc.: explicitum*, *de quo solo hic agimus et quod solum est*

(1) S. Thom., *cont. gent. lib. 1, cap. 59, n. 2.*

proprie tale, Neg. Nec aliud vult dicere S. Thomas: nam alibi expressis verbis distinguit S. Doctor apprehensionem quidditatum a iudicio, hæc scribens: «Intellectus conformitatem sui ad rem intelligibilem cognoscere potest: sed tamen non apprehendit eam secundum quod cognoscit de aliquo quod quid est. Sed quando iudicat rem ita se habere, sicut est forma quam de re apprehendit, tunc primo cognoscit et dicit verum (1).»

Inst.—2.º Saltem in opinione Suarezii tenentis intellectum nostrum prius percipere singulare materiale quam universale, dicendum est primum intellectus nostri actum esse iudicium: nam singulare percipere non potest nisi *ut quibusdam proprietatibus affectum*. Ergo...

Resp.—*Dist. ant.*—Sicut in instantia præcedente: In prædicta hypotesi primus intellectus nostri actus erit quoddam iudicium *virtuale et implicitum*, Conc.: *formale et explicitum*, Neg. Intellectus ante quam per verum iudicium proprietates alicujus rei singularis ut ei contrapositas in eaque existentes cognoscat, actu quodam imperfecto et confuso percipiet rem et ejus qualitates per modum unius: qui quidem actus erit simplex illius rei apprehensio et quoddam iudicium virtuale.

174.—*Contra 4.ª p.*—Obj. IV. Iudicium non est actus proprie cognoscitivus. Nam: a) Non omnis actus facultatis cognoscitivæ debet esse cognoscitivus; sicut non omnis actus potentivæ judicativæ debet esse iudicium, nec discursivæ discursus, nec amativæ amor. b) Actus iudicandi est illud quod per vocabula *est et non-est* exterius exprimitur. Atqui vocabula hæc nihil per se sola significant. Ergo neque actus iudicandi. c) Si iudicium foret actus objecti expressivus, illud solum sufficeret ad enuntiandum totum objectum: hoc autem admitti nequit, quia secus perceptiones subjecti et prædicati inutiles forent. (Ita de Benedictis, *Philos. Peripat.* t. 1, l. 3, q. 2, c. 1). Ergo...

(1) Id., *Summ. Theol.*, 1, p. q. 16, art. 2.

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. 1.^{am} *neg. paritat.* Nam: a) Facultates ratiocinandi, judicandi et simpliciter apprehendendi non sunt realiter plures, sed una tantum multiplicium actuum elicitive, per quorum singulos semper aliquid cognoscit. b) Non omnis quidem voluntatis actus est amor, omnes tamen sunt affectus prosequutivi vel aversativi amoris aut odii: ex quo sequitur omnes intelligentiæ actus debere esse cognitiones prosequutivas vel aversativas, seu actus affirmandi vel negandi implicite vel explicite, secundum quod per illos objectum inchoate vel plene cognoscitur.

Ad rat.—2.^{am} *Dist.*: Actus judicandi est illud, quod *sub una ex formalitatibus in eo contentis* enuntiatur exterius per vocabula *est et non-est*, Conc.: quod *sub omnibus formalitatibus suis* enuntiatur per vocabula prædicta, *Neg. Et contradist. min., neg. cons.* Vocabula exterius non exprimunt nisi illas formalitates conceptuum, ad quarum manifestationem adhibentur. Jam vero in conceptu iudicii tres inveniuntur formalitates, cognitio directa conformitatis vel difformitatis subjecti ad prædicatum, cognitio indirecta subjecti et cognitio pariter indirecta prædicati: vocabula *est et non-est* non adhibentur nisi ad significandam formalitatem cognitionis directæ. Proinde, quamvis vocabula memorata sint voces quædam syncategorematicæ; non tamen idem accidit actui judicandi, qui tres formalitates prædictas simul in se includit.

Ad rat.—3.^{am} *Dist. maj.*—Illud solum sufficeret etc., *quando elicitur ab intellectu*, Conc.; *et elici potest ab intellectu sine præviis perceptionibus subjecti et prædicati*, *Neg.* Hinc *nego minorem cum ejus probatione*: patet enim ex distinctione data perceptiones subjecti et prædicati non remanere inutiles in nostra sententia, sed e contra ab illa exigi tamquam conditiones prævias ad effectum iudicii.

175.—Obj. V. Aliis rationibus constat iudicium realiter distinguui ab actu quovis vere ac proprie cognoscitivo. Nam: a) Cognitio conformitatis et difformitatis subjecti ad prædicatum est causa affirmationis et negationis illarum. Sed omnis effectus realiter distinguitur a sua causa. Ergo... b) Si iudicium foret stricte dicta cognitio, nullum posset esse iudicium temerarium aut imperatum a voluntate, omnia iudicia essent ne-

cessario vera, nullus denique dari posset in nobis status ignorantiae, dubitationis, certitudinis, etc.: quæ omnia contra propriam experientiam pugnant. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. 1.^{am} *Dist. maj.*: Cognitio conformitatis etc. est causa *metaphysica* affirmationis et negationis illarum, *Conc.*: *physica*, *Neg. Et contradist. min.*, *neg. cons.* Cognitio conformitatis *logice* quidem distinguitur ab ejus affirmatione: eatenus enim veritati adhæremus, quatenus illam cognoscimus. *Realiter* autem cum illa identificatur; nam, ut optime ait Suarez et ex probatis constat, «judicium compositionis in cognitione illa consistit, qua cognoscitur prædicatum convenire subjecto (1)», et pari modo loquendum est de judicio divisionis. Hinc cognitio conformitatis prædictæ est quidem causa metaphysica affirmationis, non autem physica.

Ad. rat.—2.^{am} *Negantur prorsus omnes assertiones in ea contentæ.* Intellectus enim noster *concipere* potest *tamquam unitas* duas rationes objectivas, quæ realiter separatæ existunt; et *tamquam separatas* illas, quæ in se copulatæ inveniuntur. Quando vero hoc accidet, conceptus erit falsus, utpote rebus dissimilis: ac proinde etiam erit falsum judicium, quod cum hoc conceptu seu cognitione falsa realiter identificatur. Quoniam vero voluntas magnum influxum habet in intellectum et illum movere potest ut concipiat res modo, qui suis præconceptis desideriiis respondeat; manifeste patet posse eam intellectui imperare judicia falsa et temeraria, sicut etiam ut non cogitet circa aliquam rem et proinde eam penitus ignoret, ut exaggeret rationes desideriiis suis faventes et dubia in animo generantes, ut sine titubatione efformet conceptum aliquem circa aliquam rem, quem cum titubatione formare oporteret, etc. (2).

Inst.—1.^o Conceptus est mera rei repræsentatio: judicium autem relationem conceptus ad rem involvit tamquam illi conformis. Ergo judicium realiter differt a conceptu.

Resp.—Conceptus *aliquis*, simplex nempe apprehensio, est mera rei repræsentatio, *Conc.*: *omnis*, judicativo etiam incluso,

(1) Suarez. *Metaphys.* disp. 8, sect. 4. n. 5.

(2) Cfr. S. Thom., *Summ. Theol.* 1. p. q. 17, art. 3.

Neg. Conceptus judicativus formaliter exprimit rem, exercite autem conformitatem sui cum illa simul enuntiat. (1).

Inst.—2.^o In nostra sententia omnis conceptus complexus erit verum judicium, quia per illum semper concipitur aliquod subiectum *ut affectum* aliquo prædicato. Atqui hoc admitti nequit. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Omnis conceptus complexus erit verum judicium *virtuale et implicitum*, Conc.: *formale et explicitum*, Neg. Ad rat. additam *Dist. pariter*: Per omnem conceptum complexum concipitur *virtualiter et implicite* aliquod subiectum ut affectum aliquo prædicato, Conc.: *formaliter et explicitate*, Neg.

PROPOSITIO SEXTA.

Judicia synthetica a priori Kantii et instinctiva Reidii omnino repugnant.

176.—*Prænot.*—Judicia synthetica dicuntur illa, quorum prædicatum non est de ratione subjecti, quæque proinde aliter quam per idearum analysim formari debent: cætera, in quibus contrarium evenit, dicuntur analytica. Usque ad Kantii tempora omnia judicia synthetica ut experimentalia habebantur, ita ut syntheticum et *a posteriori* seu experientia notum pro eodem ab omnibus philosophis sumeretur. Kantius vero judicia quædam synthetica a priori primus sibi invenisse visus est: *synthetica quidem*, quia eorum prædicatum non est de ratione subjecti; *a priori vero*, quia non sunt in experientia fundata sed cæco quodam modo a ratione feruntur. Eadem quoad substantiam sunt judicia reidiana, quæ cæce omnino e fundo rationis ab eorum fautoribus oriri dicuntur, non cognita prius subjecti et prædicati identitate (L. 368). Proinde utraque eisdem argumentis refellemus.

177.—*Demonst.*—1.^o Ex probatis in præcedente propositione ad omne judicium prærequiruntur perceptiones subjecti et prædicati tamquam conditiones,

(1) Cfr. Alphonsus Malpartida, *Disput. in tres Aristot. libros de anima*, disp. 14. sect. 3.

ut intellectus conformitatem et difformitatem unius ad alterum cognoscere valeat. Ergo nullum prorsus iudicium fieri ab intellectu potest ex pura spontaneitate; sed omnia fieri debent ex cognitione, sive vera, sive falsa, conformitatis aut difformitatis subjecti ad prædicatum. 2.^o Iudicia prædicta ad scepticismum recta tendunt, ut in Logica ostensum est (L. 366 et seqq.) Ergo... 3.^o Iudicia, quæ Kantius synthetica a priori esse affirmat, analytica sunt omnia aut synthetica a posteriori. Ergo... Probatur antecedentis prima pars; secunda enim jam sufficienter constat ex dictis in Logica, ubi ostendimus iudicia reidiana evidentia saltem lata gaudere (L. 364). Kantius inter iudicia synthetica a priori hæc numerat: *Non datur effectus sine causa.*—*Septem et quinque duodecim faciunt.*—*Linea recta est via brevissima inter duo extrema.*—*In omnibus mutationibus corporeis eadem semper materiae quantitas perseverat.*—*Actio et reactio in omnibus corporeis motibus sunt æquales.* Jam vero tria prima manifeste analytica sunt; duo vero ultima experimentalia seu synthetica a posteriori (1). Ergo...

§ III. QUÆNAM SIT RATIONIS NATURA, QUODNAM EJUS
OBJECTUM, QUALES EJUS ACTUS.

178.—Sicut in paragrapho præcedente tres etiam hic quæstiones continentur. In prima illorum errorem refutare oportet, qui inter rationem et intellectum realem distinctionem statuunt. In secunda objectum materiale et formale rationis breviter declarandum est, videndumque utrum mens in conclusione objectum præmissarum formaliter attingat necne. In tertia denique duo investigare intendimus, utrum nempe ratio adhærere præmissis valeat, quin adhæreat conclusioni, et reflexa consequentiæ cognitione indigeat ut conclusioni propter præmissas assentiatur. Sint igitur sequentes propositiones.

(1) Cfr. Balmes, *Filosofia fundamental*, lib. 1, cap. 29.

PROPOSITIO PRIMA.

Ratio humana non distinguitur realiter ab intellectu.

179.—*Demonst.*—Ratio est facultas quædam discursiva objecta cognoscens inferendo unum ex alio. Atqui facultas hæc non distinguitur realiter ab intellectu. Ergo.

Prob. min.—Idem est mobilè in termino a quo incipit moveri, in ipso motu, et in termino ad quem motu suo pervenit. Sed ratio incipit suum motum discursivum a primis cogitandi principiis, ea cognoscendo atque ex illis consequentias suas deducendo; hæc vero principia ad objectum intellectus spectant. Ergo ratio non realiter distinguitur ab intellectu; sed est ipse intellectus, quatenus objecta sua primum in principiis cogitandi modo quodam generali et confuso percipit, deinde vero per superiores conceptus perfectius ac plenius ex uno ad alterum procedendo cognoscit. Hæc enim est humani intellectus conditio ut, quoniam ipse in se est pura potentia, ad actum perfectum non transeat nisi perveniendo prius ad imperfectum; et ideo; ut optime ait S. Thomas (1), «necesse habet unum apprehensum alii componere et dividere, et ex una compositione et divisione ad aliam procedere: quod est ratiocinari».

(1) S. Thom., *Summ. Theol.* 1. p. q. 85, art. 5.

PROPOSITIO SECUNDA.

Objectum materiale rationis est illud, quod in conclusione manifeste exprimitur; formale autem est id, quod per præmissas exhibetur.

180.—*Prob. 1.^a p.*—Objectum materiale alicujus potentiae est illud, circa quod ipsa versatur. Atqui ratio, ut talis, tota est in conclusionibus educendis. Ergo eæ constituunt ejus objectum materiale.

181.—*Prob. 2.^a p.*—Objectum formale est illud, propter quod attingitur materiale. Sed ratio attingit conclusionem, seu illi adhæret propter præmissas. Ergo in iis reperitur objectum illius formale.

PROPOSITIO TERTIA.

Ratio in conclusione obscure quidem, formaliter tamen attingit præmissas.

182.—*Prænot.*—Defendimus hanc thesim ut probabiliorem contra Scotistas, qui contrariam tuentur. Et quidem in hoc patronos habemus, non solum Thomistas et quamplurimos e nostris auctoribus (1), sed etiam Angelicum Doctorem, qui iis verbis illam docuit: «Primo aliquis intelligit ipsa principia secundum se; postmodum autem intelligit ea in ipsis conclusionibus, secundum quod assentit conclusionibus propter principia (2)».

Prob.—1.^o Omnis assensus debet respicere suum objectum tamquam dignum, ut illi mens adhæreat. Atqui assensus conclusionis nequit respicere objectum suum tamquam dignum ut illi mens adhæreat, nisi attingat modo aliquo saltem confuso objectum præmissarum. Nam conclusio, ut talis, non est digna ut ab intellectu admittatur nisi propter præmissas, in quibus

(1) Cfr. Losada, *de anima*, disp. 8, cap. 4, n. 96.

(2) S. Thom., *Summ. Theol.* 1. 2. q. 8, art. 3.

fundatur; sicut medium, quatenus tale, non habet aliam appetitabilitatem quam finis, ad cuius consecutionem inservit. Ergo...
 2.º Conclusio est quid formalem relationem dicens ad præmissas; ut patet ex ipsa particula *ergo*, per quam exterius exprimitur. Sed relativa sunt simul et re et cognitione. Ergo actus, quo objectum conclusionis cognoscimus illique adhæremus, etiam objectum præmissarum formaliter, licet obscure et indirecte, repræsentat.

Solvuntur difficultates.

183.—Obj. I. Si conclusio formaliter repræsentat præmissas, omnis conclusio erit iudicium causale, quo dicamus. $A=B$ quia $A=C$ et $C=B$. Atqui hoc admitti nequit. Ergo...

Resp.—*Neg. maj.*—Ut iudicium aliquod sit formaliter causale; debet attingere causam, non quomodocumque, sed expresse et directe. Conclusio autem ratiocinii non attingit præmissas nisi implicite et indirecte. Ergo conclusio non est iudicium formaliter causale, sed tantum virtualiter tale.

184.—Obj. II. In nostra sententia numquam sequi posset verum consequens ex falso antecedente. Nam in iudiciis causalibus causatum numquam est verum, nisi quando vera est ejus causa. Ergo...

Resp.—*Dist. ant.*—Numquam sequi posset *formaliter* verum consequens ex falso antecedente, *Conc.: materialiter*, *Neg.* In ratiocinio consequens verum potest quidem sequi ex antecedente falso, sed pure materialiter; quatenus nempe, non vi connexionis ejus cum præmissis, sed propter alias rationes est in se verum. Nam falsum, ut tale, numquam potest esse causa et origo veri. Hoc autem totum optime cohæret cum doctrina hic a nobis propugnata.

185.—Obj. III. Si conclusio præmissas formaliter attingeret, medium ingrederetur conclusionem. Atqui hoc regulæ ratiocinii vetant. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Medium ingrederetur conclusionem *implicite et indirecte*, *Conc.: explicite et directe*, *Neg.* Et *contrad. min.*, *neg. cons.* Regulæ ratiocinii vetant ne medium ingredatur conclusionem explicite et directe, non autem implicite et indirecte.

186.—Obj. IV. In hypothesi memorata ad quamlibet propositionem discursu cognitam recogitandam totam seriem ratiociniorum primo factorum mente revolvere oporteret. Atqui hoc cum experientia pugnat. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Ad quamlibet propositionem discursu cognitam recogitandam totam seriem ratiociniorum primo factorum mente revolvere oporteret *modo aliquo confuso*, Conc.: *claro et distincto*, Neg. *Et contradist. min., neg. cons.* Ad adhærendum denuo propositioni alias demonstratæ sufficit recordari hanc demonstrationem vere a nobis fuisse factam, quin necesse sit totam seriem ratiociniorum denuo texere. Sic autem conclusio jam attingit modo quodam obscuro præmissas.

PROPOSITIO QUARTA.

Intellectus assentiens præmissis non potest non assentiri conclusioni clare ex illis fluenti.

187.—*Demonst.*—Intellectus non potest non assentiri veritatibus evidentibus: libertate enim intrinseca in operando caret et ab objecto suo evidenter proposito necessario trahitur. Sed quando præmissæ admittuntur ut veræ ab intellectu, et conclusio clare ex illis fluit; hæc illi exhibetur ut res quædam evidenter vera. Ergo nequit non eam admittere.

PROPOSITIO QUINTA.

Intellectus ad assentiendum conclusioni non indiget nexum ejusdem cum præmissis reflexe cognoscere.

Est contra aliquos contrarium asserentes apud Hurtado, *de anima*, disp. 7, sect. 5, quos optime refellit laudatus auctor.

188.—*Demonst.*—1.º Ut intellectus conclusioni assentiat, sufficit ei connexionem ejusdem cum præmissis clare cognoscere. Atqui cognitionem hanc claram sine reflexione in proprios actus potest obtinere. Ergo... *Prob. min.* Intellectus conclusio-

ni adhæret propter connexionem veritatum objectivam. Sed hanc connexionem clare videt in ipso actu, quo consequens ex antecedente infert: hic enim actus formaliter exhibet, non solum objectum conclusionis, sed etiam objectum præmissarum, ut ex thesi tertia constat. Ergo... 2.^o Ipso actu, quo adhæremus conclusioni propter præmissas, cognoscimus exercite et per modum cujusdam reflexionis virtualis bonitatem illationis. Atqui, hoc posito, jam potest intellectus adhærere conclusioni absque ulla ulteriore cognitione reflexa. Ergo.... *Prob. maj.* In omni judicio, ut in Logica dictum est (L. 302), ipso actu judicandi exercite cognoscimus conformitatem hujus actus cum re judicata, ac proinde rationem etiam hujus conformitatis. Atqui ratio conformitatis judicii cum re judicata in judicio discursivo non alia est quam bonitas illationis. Ergo...

Solvuntur difficultates.

189.—Obj. I. Intellectus ideo determinatur ad concludendum ex præmissis, quia videt bonitatem illationis. Ergo ante positionem conclusionis debet habere cognitionem illius reflexam.

Resp.—*Dist. ant.*—Quia videt bonitatem illationis *per ipsas præmissas*, Conc. *per actum novum a judiciiis præmissarum distinctum*, Neg. Intellectus, ut optime Hurtadus observat (1), formata utraque præmissa, videt objectum conclusionis habere idem prorsus quod præmissarum objectum: unde ad illi assentiendum ab ipsis præmissis determinatur, quin ulla reflexione in suos proprios actus ulteriore indigeat. Hinc *sub data dist. nego conseq.*

190.—Obj. II. Intellectus determinatur ad concludendum propter illationem. Ergo debet illam reflexe cognoscere.

Resp.—*Dist. ant.*—Propter illationem *in ipsis judiciiis præmissarum aliquo modo implicito repræsentatam*, Conc.: *actu novo ab intellectu cognitam*, Neg. Cum objectum conclusionis

(1) Hurtado, *loc. cit.* n. 34.

idem realiter sit ac objectum præmissarum; eo ipso quod intellectus huic adhæret, determinatur ad adhærendum illi, quin ulla reflexione in suos proprios actus indigeat.

§ IV. QUÆNAM SIT NATURA MEMORIÆ INTELLECTIVÆ,
QUODNAM EJUS OBJECTUM ET QUALES EJUS ACTUS.

191.—Memoria intellectiva duplici sensu sumitur. Nam: 1.º significat *facultatem conservandi species objectorum intelligibiles jam acquisitas, illisque utendi ad ea recognoscenda*. 2.º Sumitur *pro facultate recordandi præcognitum, ut præcognitum, seu alias perceptum*. Dari in nobis hanc duplicem memoriæ intellectualis speciem res est evidentissima. Nam eatenus scientiam aliquam acquisitam in nobis retinemus aut de cogitationibus prius habitis recordamur, quatenus eæ ipsæ cogitationes relinquunt in intellectu *quædam ipsarum vestigia*, quæ nata sint excitare in eo tum cogitationes novas similes prioribus, tum etiam recordationem actuum antea elicitorum: quæ quidem vestigia *species rememorativæ* dici solent. Itaque memoriæ intellectualis existentia supposita, de ejus natura, objecto et actibus tantummodo disseremus.

PROPOSITIO PRIMA.

Memoria intellectiva non distinguitur realiter ab intellectu.

192.—*Demonst.*—1.º Intellectus cognoscere potest rationem præteriti et quidquid ad memoriam intellectivam spectat. Nam cum versetur circa ens in genere; quidquid participat rationem entis, cognoscere potest; sicut visus, quia colorem pro objecto habet, omnia colorata videre potest. Sed si elicere valet omnes actus memoriæ intellectualis proprios, nulla est ratio illum realiter ab ea distinguendi. Ergo... 2.º Intellectus conservare potest species rerum acquisitas

atque illis in absentia objectorum uti: non enim pe-
joris conditionis esse debet quam phantasia et me-
moria sensitiva; cum sit potentia illis longe perfectior.
Sed, hoc posito, intellectus jam ipsa est memoria
intellectualis, ut patet. Ergo... (1).

PROPOSITIO SECUNDA.

*Objectum primum et directum memoriæ intellectivæ
sunt actus spirituales præteriti subjecti memorantis;
secundarium vero et indirectum actus cæteri
experimentales et eorum objecta.*

193.—*Prob. 1.^a p.*—Objectum primum et direc-
tum intellectus est quid spirituale, ut ex supra dictis
constat (141). Ergo objectum memoriæ intellectualis
primum et directum est quid spirituale præteritum.
Sed soli actus spirituales subjecti memorantis habent
has duas proprietates. Ergo...

194.—*Prob. 2.^a p.*—Intellectu non solum cognosci-
mus nos intellexisse, sed etiam sensiisse et appetitu
sensitivo objecta quædam materialia appetivisse.
Ergo cum actus et objecta facultatum sensitivarum
non pertineant ad objectum primum et directum
memoriæ intellectivæ, et tamen aliquo modo ab ipsa
cognoscantur; intra objectum ejus secundarium et
indirectum reponi debent (2).

PROPOSITIO TERTIA.

*Species memoriæ intellectivæ nunquam delentur:
excitari autem nequeunt in hoc statu unionis sine concursu
memoriæ sensitivæ.*

195.—*Prob. 1.^a p.*—a) Species hujusmodi nullum habent
principium corruptionis. Subjectum enim, in quo recipiuntur,

(1) Cfr. S. Thom., *Summ. Theol.* 1. p. q. 79, art. 7.

(2) Cfr. S. Thom., *Summ. Theol.* 1. p. q. 79, art. 6.

seu intellectus est plane incorruptibilis et semper idem in entitate sua perseverat: *b*) agentia materialia nihil in eas, utpote immateriales, agere possunt: *c*) species denique de novo advenientes nullum eis nocumentum afferre valent; cum non sint incompatibiles, et simul in eodem intellectu existere possint. Sed res quævis creata in accepta existentia immobiliter conservatur, quando nullum habet principium corruptionis naturale. Ergo...

196.—*Prob. 2.^a p.*—Experientia quotidiana constat intellectum nostrum cognitionibus acquisitis uti non posse, quoties deest ei auxilium memoriæ sensitivæ. Unde de quibusdam sapientibus narratur, eos ob senium vel ob ægritudinem aliquam omnium cognitionum suarum thesaurum misere amisisse: quod quidem amissioni ipsarum specierum intellectualium minime tribui potest, ut ex proxime probatis patet. Ergo...

Solvitur quædam difficultas.

197.—Species memoriæ intellectivæ natura sua corruptibiles optime cogitari possunt. Nam, sicut impetus corporibus impressus et vibrationes aëris sonoræ post breve aliquod tempus sponte sua cessant; ita idem accidere potest speciebus prædictis (Sic Arriaga cum Nominalibus in suo *Curs. Philos. disp. 6. de anima*, sect 6). Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. additam *Nego parit.* Impetus corporibus impressus et vibrationes sonoræ contrarium habent, cujus actione paulatim debilitantur; et ideo post breve aliquod tempus cessant. Non sic accidit speciebus intellectus, ut probatum est (1).

PROPOSITIO QUARTA.

Species acquisitæ in intellectu excitantur: 1.^o naturali humorum corporalium commotione; 2.^o idearum consociatione; 3.^o denique imperio voluntatis.

198.—*Prob. 1.^a p.*—Excitatio specierum nihil aliud est quam determinatio ipsarum ad actionem, quam intellectus eis adju-

(1) Cfr. Losada, *Curs. philos.* part. 3.^a—*Tract. de anima*, disp. 6, n. 47; item Quiros, *de anima*, disp. 92, sect. 3.

tus cognoscendo producit. Sed in hanc determinationem humores corporis quammaxime influunt: nam *melancholici* ex. gr. ad tristia, *sanguinei* ad læta, *cholericici* ad atrocia meditanda naturaliter sunt propensi; et ex quibusdam infirmitatibus corporis perturbatio in phantasiæ et rationis functionibus resultat. Ergo...

199.—*Prob. 2.^a p.*—Associatio idearum in affinitate et connexione ipsarum consistit, quæ ex connexionione et affinitate suorum objectorum aut etiam ex modo suæ productionis originem ducunt. Atqui ex hac connexionione et affinitate fit, ut una idea alteram in animo excitet, ut cuius propria experientia testatur. Ergo.... Sic sola præsentia offensoris totam multitudinem actionum et passionum, quibus ejus offensa occasionem præbuit, sæpe in mentem revocat: prima alicujus orationis aut poematis verba excitant in nobis species verborum immediate subsequentium, et hæc aliorum, donec tandem totam illorum seriem ad finem usque cogitando percurramus, quia hoc determinato ordine fuerunt memoriæ mandata. Porro in genere dici potest, vi hujus affinitatis et connexionionis idearum *objectum alicujus perceptionis præteritæ totum menti præsens sisti; quoties aliqua ejus pars animo obversatur*. Et quia quod est totum respectu unius perceptionis, est pars respectu alterius, et unum etiam objectum sæpe nobis in cogitatione exhibetur tamquam pars aliorum multorum; idcirco facilitate tanta idearum consociatio ex unius rei consideratione ad aliam nos transfert, ut intellectus ad ordinate cogitandum expressa ac determinata voluntatis directione indigeat.

200.—*Prob. 3.^a p.*—Patet per se: unusquisque enim in se experitur, in potestate sua esse de re hac vel illa cogitare, attentionem mentis in unum potius quam in aliud objectum fortiter convertendo. Unde huic voluntariæ objectorum considerationi ac meditationi debetur, ut ea quaquaversus attente atque ordinate perspicere et diversas scientias excolere valeamus.

Fatendum tamen est imperium voluntatis non esse omnino illimitatum. Nam voluntas sine prælucente aliqua idea objecti, saltem vaga et confusa, non potest intellectui imperare, ut circa illud cogitet; *nihil enim volitum, quin præcognitum*: prima autem idea non est in nostra potestate. Unde tota voluntatis vis

in ordine ad excitandas ideas in eo est, ut intellectum applicet ad profundius et attentius consideranda objecta, quæ non nisi sub vaga quadam et obscura ratione fuerant ipsi proposita, unum præ aliis seligendo atque in ejus contemplationem activitatem mentis pro libertate sua dirigendo.

§ V. QUÆNAM SIT NATURA CONSCIENTIÆ, QUODNAM EJUS
OBJECTUM ET QUALES EJUS ACTUS.

201.—Conscientiæ nomen et pro actu et pro facultate sumi potest. Sumptum pro actu significat *actionem illam, qua, in proprias cogitationes animum convertentes, nos illis informatos cognoscimus* (L. 397). Sumptum vero pro facultate *virtutem hujusmodi actionem eliciendi, nosque per eam cogitantes cognoscendi designat*. Porro conscientia hæc expresse ac formaliter reflexa est: præter eam autem datur alia virtualiter tantum reflexa et formaliter directa, quæ *sensus intimus* ab aliquibus vocari solet, ac de qua nos in Logica loquuti sumus, eam definientes *quamdam dispositionem subjectivam entis cognoscitivi, qua hoc ad sentiendas seu experiendas proprias ipsius affectiones in ratione phænomenorum seu factorum internorum necessario determinatur* (L. 388).

His præmissis, ut de conscientiæ natura, objecto et actibus aliquid dicamus, sequentes propositiones probandas assumimus.

PROPOSITIO PRIMA.

Conscientiæ facultas realiter ad intelligentia non differt.

202.—*Demonst.*—Conscientiæ facultas est illa animi potentia, qua intelligimus nos intelligere. Sed potentia qua intelligimus nos intelligere, est ipse intellectus: hic enim quidquid participat rationem entis ac proinde suos proprios actus cognoscere potest. Ergo...

PROPOSITIO SECUNDA.

Nullus actus conscientiae directae est animae essentialis.

203.—*Prænot.*—Cartesius cogitationem animae essentialem esse opinatus est. Hoc ipsum profitentur Ontologi dicentes animam humanam ex vi suae propriae essentialis percipere semper modo perenni et constante Deum sub ratione Entis ut sic. Alii denique, de quibus jam supra loquuti sumus (104), animam censent sensu sui necessario et essentiali præditam esse. Contra hos ultimos dirigitur præsens thesis: argumenta tamen, quæ pro ea adducentur, simul ferient Cartesium ipsosque Ontologos, ex qua parte in anima nostra actum quemdam cogitandi essentialem ponunt.

204.—*Demonst.*—1.º Actus conscientiae directae realiter non distinguuntur ab actibus, quibus objecta hujus mundi cognoscimus et appetimus; sed sunt hi ipsi actus, quatenus in anima experimentaliter recepti (L. 389). Atqui actus quibus objecta hujus mundi cognoscimus et appetimus, animae essentialis dici nequeunt. Ergo.... 2.º Actus conscientiae directae, sive ab illis quibus objecta cognoscimus distinguatur sive non, semper est quid ex activitate animae profluens non minus quam reliqui omnes; secus enim proprie ac vere actus non esset. Sed nihil ex animae activitate profluens illi essentialis dici quit: omnis enim actio causae creatae est quid ab ea realiter distinctum atque extra ejus essentialitatem manens. Ergo.... 3.º Anima potest a Deo conservari in mundo omni actu conscientiae directae orbata. Potest enim Deus nolle concurrere ad ullam illius actionem, eam interea in suo esse substantiali conservando; quo posito, anima existet sine ullo actu conscientiae. Sed nullum ens potest in mundo existere re aliqua sibi essentiali orbatum. Ergo nullus actus conscientiae est animae essentialis. 4.º

Eatenus dici posset actus conscientiae aut alius quilibet animae essentialis, quatenus ab ejus essentia realiter non distingueretur. Sed solius Causae primae proprium est, ut actio ab ejus essentia non distinguatur: in caeteris enim, cum nulla sit actus purus, sed quid mixtum ex potentia et actu, actio realiter distinguitur a substantia atque est quid ei accidentaliter adveniens. Ergo....

Solvuntur difficultates.

205.—Obj. I. Enti intelligenti est essentialis vita. Sed vita in actu consistit. Ergo enti intelligenti essenziale est intelligere ac proinde sui conscientiam habere.

Resp.—*Dist. maj.*—Enti intelligenti essentialis est vita *in actu primo*, Conc.; vita *in actu secundo*, Neg. Deinde *Dist. min.*: Vita consistit in actu *sive substantiali, sive accidentali*, Conc.: *in actu substantiali praecise*, subd. *si agatur de vita in actu primo sumpta*, Trans.: *si agatur de vita in actu secundo considerata*, iterum dist.: *quando sermo est de vita Dei*, Conc.: *quando sermo est de vita creaturarum*, neg. Vita in actu secundo sumpta soli Deo est substantialis; in creaturis autem est accidens quoddam ex intrinseca viventis activitate naturaliter promanans.

206.—Obj. II. Essentiale est animae posse operari. Atqui operari nequit, si prius non sit in actu, ex potentia enim, ut tali, actus resultare nequit. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et dist. min.*—Anima operari nequit, si non sit in actu *primo*, Conc.: *secundo*, Neg. *Rationem addit. pariter dist.*: Ex potentia *passiva seu receptiva* resultare actus nequit, Conc.: ex potentia *activa et in actu primo completo constituta*, Neg. Ad hoc ut anima actus suos intellectivos elicere queat, sufficit ei esse non in mera potentia receptiva relate ad illos sed in

vero actu primo completo: causa enim quævis finita eatenus elicit suum actum secundum, quatenus virtute sua naturali ad illum ex actu primo transit. Non est autem necesse ut hic actus primus constituatur semper et ubique per aliquem actum intelligendi secundum.

Inst.—Atqui necesse est ut actus primus in ordine ad singulas intellectiones particulares per actum secundum constituatur, qui sit cognitio quædam generalis, in qua omnes particulares virtualiter contineantur. Secus enim potentia cognoscitiva imperfectior erit unoquoque e suis actibus, cum actus perfectior sit quam potentia: potentia autem cognoscitiva imperfectior suis actibus dici nequit, cum sit illorum causa. Ergo...

Resp.—*Neg. min. subs.*—Ad rat. add. *Neg. ass.* Nec quidquam valet ratio in illius probationem adducta: nam actus est quidem perfectior potentia passiva non vero activa, de qua nunc agimus (1). Actus potentia activa perfectior dici nequit nisi *extensive*, quatenus perfectio existens in causa extenditur ad suos effectus et quodammodo per eos diffunditur; vel etiam, ut ita dicam, *evolutive*, quatenus producere effectum et dare illi suam perfectionem bonum etiam est suo modo ipsi causæ (O. 474).

Difficultates, quæ contra hanc thesim a defensoribus sensus fundamentalis adduci solent, supra solutas invenies, ubi de sensibilitate interna actum est (107).

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.*, disp. 43, sect. 6, nn. 9-19. Cfr. item D. Thom. lib. 2 *contra gentes* cap. 82, ubi ait «intelligere et sentire non esse actus existentis in potentia sed actus entis perfecti.»

PROPOSITIO TERTIA.

Sensus sui immediatus et ab omni prævia affectione independens ne naturalis quidem animæ dici potest.

Est contra defensores sensus fundamentalis.

207—*Demonst.*—1.^o Sensus hic actus quidam ab intellectu elicited esse debet, quoniam animæ sine ullo influxu corporis adesse dicitur. Sed intellectus naturaliter nullum actum elicere potest nisi operatione sensuum et phantasie excitatus. Cum enim ex intrinseca sua conditione sit corporis forma, nullam in statu unionis operationem efficere potest, quæ a corpore non dependeat. Ergo... Ad rem S. Thomas: «Quia connaturale est intellectui nostro secundum statum præsentis vitæ quod ad materialia et sensibilia respiciat, sicut supra dictum est (q. *præced.* art. 4, ad 2, et q. 84, a. 7), consequens est, ut sic se ipsum intelligat intellectus noster, secundum quod fit actu per species a sensibilibus abstractas per lumen intellectus agentis (1).»

2.^o Si sensus prædictus foret animæ naturalis, pari ratione cognitio sui ab omni affectione prævia independens animæ tribuenda esset: tum quia sensus memoratus vera cognitio est, licet experimentalis; tum etiam quia anima non magis sibi præsens est in ratione objecti, ut se ipsam sentiat, quam ut se ipsam cognoscat. Atqui, fatentibus ipsis adversariis (2), animæ humanæ non competit cognitio sui ab omni prævia affectione independens. Ergo...

3.^o Si anima immediate et sine ulla affectione prævia se ipsam sentiret; per hujusmodi sensum non minus clare se ipsam cognosceret, quam cognoscit res sensibiles per sensus. Nam cognitio quoque sensuum est experimentalis, et potentie sensi-

(1) S. Thom., *Summ. Theol.* I. p. q. 87, art. 1 in θ .

(2) «Anima, inquit Tongiorgi (*Psychol.* n. 282), non intelligit se immediate ac per se ipsam, sed per actus suos.»

tivæ non habent objectum suum magis præsens quam anima seipsam. Atqui conscientia contrarium prorsus testatur. Ergo...

4.º Imo non solum perceptiones sensuum sed alias quasvis deberet sensus prædictus claritate cognitionis saltem æquare. Nam potentia se ipsam sentiendi et experiendi est in se expeditissima, et objectum sentiendum est illi præsentissimum, quin ullum vel minimum obstaculum intercedat. Atqui nihil hujusmodi in nobis experimur. Ergo...

PROPOSITIO QUARTA.

Anima eatenus habet conscientiam sui reflexam, quatenus se ipsam in actibus suis cognoscit: cognitio vero hæc non discursiva sed intuitiva dici debet.

208.—*Prænot.*—Krausistæ opinantur animam humanam immediate ac per suam essentiam se ipsam cognoscere, ita ut cognitio sui a nulla alia prævia objectorum finitorum cognitione dependeat, sed anterior illis omnibus sit et sine ulla prorsus interruptione ei insit: quam quidem sententiam et Plato in Alcibiade et alii quoque philosophi sequuti sunt (1). E contra Cousin cum aliquibus Rationalistis putat animam nostram conscientia prædicta solas ejus cogitationes cognoscere, atque ex illis sui ipsius existentiam ratiocinando inferre. Cum Cousin ex parte consentiunt Reidiani, quatenus asserunt conscientiam reflexam circa solas et puras cogitationes versari: tamen subjecti cogitantis existentiam nec immediate cognosci putant nec mediate per suos actus, sed cæco instinctu a nobis admitti. Doctrina autem vera et tenenda est ea, quam nos cum Scholasticis in hac thesi enuntiavimus, quamque jam statim probare aggredimur.

209.—*Prob. 1.ª p.*—1.º Modus naturalis intellectus nostri est ut in actus suos exire nequeat nisi aliquo modo determinatus a sensibus. Nam cum ad animam pertineat, quæ non est spiritus purus sed vera et propria forma corporis; nullam operationem in statu

(1) Cfr. Suarez, *de anima*, lib. 4, cap. 5, n. 1.

unionis efficere valet, quæ aliquo modo a corpore non dependeat. Atqui sensus non determinant intellectum ad immediatam sui ipsius visionem, sed ad apprehensionem objecti materialis per eos propositi. Ergo intellectus primo circa objectum aliquod sensibile virtutem suam cognoscitivam exercet; ac se deinde animamque ipsam eatenus cognoscit, quatenus se aliquid cogitantem deprehendit. 2.^o Si intellectus se ipsum animamque immediate in se ipso cognosceret, aperte omnino ac perfecte se cognosceret: imo nulla opinionum diversitas circa essentiam animæ existere posset, quia omnes clare illam in se ipsa intuerentur. Præterea in hac hypothese intuitio animæ nostræ esset nobis perennis et continua, ita ut ne in ipso quidem somno a nobis abesset: quoniam ipsa sibi semper præsens foret absque ullo obstaculo intermedio. Sed contra hæc omnia protestatur experientia quotidiana omnium hominum: imo aliqui adeo suæ animæ naturam ignorant, ut ipsam ejus existentiam negent. Ergo... 3.^o Ipsa animæ notio omnibus hominibus communis aperte indicat intellectum nostrum non nisi in suis actibus animam cognoscere. Animam enim definimus: *Principium primum operationum vitalium*, clare significantes ejus existentiam et naturam non aliter quam per actus ab ea profectos nobis notas fieri. Ergo...

210.—*Prob. 2.^a p*—Si cognitio animæ humanæ non intuitiva sed discursiva foret, animæ nostræ existentiam ex suis actibus vero et proprio discursu cognoceremus. Atqui hoc prorsus repugnat: ergo... *Prob. min.* In tali discursu vel anima apprehenderet *ut suas* cogitationes ab ea profectas, vel non. Si *primum*: jam ante ratiocinium in suis actibus se cognosceret; ac proinde non posset ratiocinando ex illorum cognitione ad sui ipsius notitiam devenire; quia in omni vero et proprio ratiocinio ignotum ex noto inferri debet, quod tunc non accideret. Si *secundum*; ratiocinatio ab anima facta ad inferendam suam propriam existentiam nullius omnino valoris esset. Ita enim se

haberet: *Existit in mundo aliqua cogitatio: ergo existo ego, ut causa et subjectum illius: quod quidem contra apertas regulas Logicæ dicitur, juxta quas hoc modo concludendum esset: Ergo existit in mundo aliquod subjectum cogitans, quodcumque sit. Ergo ..*

211.—*Prob. 3.^a p.—1.^o* Teste conscientia, anima vere ac proprie se ipsam cognoscit. Non autem se cognoscit per verum et proprium discursum, existentiam suam inferendo ex suis actibus, ut ex proxime dictis constat. Ergo se cognoscit per cognitionem immediatam et intuitivam. 2.^o Cognitio intuitiva illa dicitur, qua cognoscimus objectum præsens nosque ad sui cognitionem determinans (L. 38). Sed anima est quid sibi physice præsens; et prout cogitationibus suis informatur, est quid sibi præsens etiam in ratione objecti illam ab sui cognitionem determinantis. Ergo cognitio, qua anima se cognoscit, est vere ac realiter intuitiva. Reidiani quidem contendunt cognitionem hanc non intuitivam sed *instinctivam* vocandam; sed minime audiendi sunt juxta alibi dicta (L. 368).

212.—*SCHOLIUM.*—Cognitio, qua anima se in suis actibus cognoscit, et se et suos actus simul per modum unius immediate et sine ullo discursu attingit: se quidem tamquam objectum materiale, actus vero tamquam formale; quoniam actus suos cognoscit propter se ipsos, se vero ipsam propter actus, quibus informatur. Ad obtinendam autem hanc cognitionem, anima et *attentione* et *reflexione* utitur, de quibus jam in Logica loquuti sumus (L. 34-35). Porro aliqui solam reflexionem psychologiam *conscientiæ* vocabulo designant, reflexioni autem ontologicæ *reflexionis simpliciter dictæ* nomen reservant (1): alii hanc secundam *recogitationem* appellant (2). Sed quidquid de his nominibus cogitare libeat, notare oportet recogitationem stricte dictam novam cogitationem objecti esse; qua mens, postquam illud consideravit, iterum sibi illud repræsentat. Ad quod quidem nulla reflexio in proprios actus quomodocumque

(1) Cuevas, *Psychol.* n. 35.

(2) Liberatore, *Psychol.* n. 51.

sumptos necessaria est; sed sufficit ad rem de qua antea fuerat cogitatum, iterum attentionem convertere. Altera recogitatio in reflexione ontologica contenta minus stricta est; quoniam obiectum, non simpliciter in se ipso, sed in ejus imagine, seu quatenus in idea aliqua relucet, considerat.

ARTICULUS VI.

De potentiis animæ appetitivis.

213.—Appetitus in genere dicitur *inclinatio seu propensio alicujus rei in suum proprium bonum*. Cum enim unaquæque res suum bonum naturaliter amet seu appetat, in illud suo veluti pondere inclinari dicitur. Appetitus alius *elicitus*, alius vero *innatus* seu *naturalis* est. Primus, qui proprie appetitus vocatur, actionem illam denotat, qua ens aliquod in bonum quoddam inclinatur cognitione apprehensum. Secundus, qui improprie et metaphorice tantum appetitus nuncupatur, est naturalis uniuscujusque rei attemperatio ad suum proprium bonum, qua in illud cæce et sine ulla prævia cognitione fertur. Elicitus cognitionem sequitur, innatus vero seu naturalis rei essentiam seu naturam: elicitus in *sensitivum* et *intellectualem* dividitur, quoniam cognitioni sensitivæ et intellectivæ respondet: innatus unus tantum est, quoniam ex natura, prout tali, immediate oritur, quæ in singulis entibus una est et minime multiplex. Principium, ex quo appetitus procedit, *facultas appetitiva* atque etiam *appetitus* dicitur: unde, cum tria dentur appetituum genera, tres quoque facultatum appetitivarum classes existere necesse est, de quibus totidem paragraphis loque mur.

§ I. IN QUO REPONENDA SIT NATURA APPETITUS INNATI.

214.—Doctrinam de appetitu innato seu naturali non parum obscuravit Leibnitzius. Cum enim ad modum cujusdam ponderis naturalis a nobis concipiatur et nominibus *vis*, *appetitus*, *inclinationis*, *propensionis*, *conatus*, *intentionis naturalis* et aliorum hujusmodi designetur; illum ut rem quamdam me-

diam inter actum et potentiam imaginatus est, et *actum quemdam initialem atque imperfectum* esse dixit, quo entia omnia creata ad suum quæque bonum vera ac propria actione moventur. Porro appetitus innatus, ut supra observavimus, metaphoricus tantum appetitus est; atque eatenus nominibus inclinationis, propensionis, etc. vocatur, quatenus aptitudinem quamdam naturæ ad suum proprium bonum denotat, cujus ratione singula entia ad sua bona per suas proprias vires consequenda moventur ad eum modum, quo appetitus sensitivus belluarum et rationalis hominum actiones suas appetitivas eliciunt. Ut igitur veram hac in re doctrinam tueamur sit sequens

PROPOSITIO.

Appetitus innatus non consistit in ullo actu initiali et imperfecto, sed in aptitudine intrinseca uniuscujusque rei ad suum proprium bonum, seu in conaturalitate cujusque rei ad id quod est sibi conveniens secundum suam naturam.

215.—*Prob. 1.^a p.*—1.^o Actus quivis ex aliqua potentia emanans, non initialis, sed perfectus ac vere elicitus est; tantumque facit, quantum vi sua intrinseca potest. Ergo appetitus innatus nullo modo consistere potest in actu aliquo initiali, quia secus ab elicitio minime distingueretur.

216.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Appetitus innatus omnibus potentiis tam cognoscitivis quam appetitivis communis est: unaquæque enim pondere naturæ suæ ad proprium bonum inclinatur et ratione hujus inclinationis actiones suas exerit ad illud consequendum. Atqui appetitus hic in facultatibus cognoscitivis nihil aliud esse potest quam ipsa facultas, quatenus apta ad suum proprium bonum consequendum et naturali quadam exigentia illud sibi vindicans tamquam pro-

priam et sibi convenientem perfectionem: absurdum enim esset cogitare *intellectum* v. gr., ante quam cognitionem aliquam producat, actione aliqua hanc cognitionem aut ejus objectum appetere. Ergo appetitus innatus uniuscujusque rei proprie ac realiter in aptitudine illius intrinseca ad suum proprium bonum et in naturali ejus exigentia reponi debet. 2.° Appetitus innatus, non circa bona particularia, sed circa generale et specificativum uniuscujusque facultatis versatur: unde *visus* ex. gr. vi hujus appetitus, non *hoc* vel *illud* coloratum appetit, sed coloratum simpliciter. Atqui appetitus circa bonum specificativum tantummodo versans in omni potentia operativa non potest esse actio ulla sed ipsa potentia, quatenus bono suo consequendo idonea: si enim intellectum et voluntatem excipias, quæ actus quosdam eliciunt circa verum et bonum in genere versantes, reliquarum omnium actus ad particularia tantum diriguntur, et solæ potentiæ illos elicientes cum objecto earum specificativo et universali proportionem habent. Ergo... 3.° Hæc est sententia omnium Scholasticorum, imo et totius antiquitatis (1), quam relinquere sine gravissimis rationibus prudens non est (2). Rationes hujusmodi nullæ sunt, ut ex solutione difficultatum statim clarissime patebit. Ergo... 4.° Denique appetitus innatus non solum potentiis activis sed etiam

(1) Cfr. Sanseverino, *Dinamil.* vol. I part. gener. cap. I, art. VII.

(2) Ita inter alios scribit Suarez: «Supponenda est primo vulgaris distinctio duplicis appetitus, innati et elicitivi. Prior improprie ac metaphorice dictus est appetitus; proprie vero nihil aliud est quam naturalis propensio, quam unaquæque res habet in aliquod bonum: quæ inclinatio in potentiis passivis nihil aliud est quam naturalis capacitas et proportio cum sua perfectione, in activis vero est ipsa naturalis facultas agendi (Suarez, *Metaph.* disp. 1, sect. 6, n. 3)».

passivis communis est. Sicut enim unaquæque res naturaliter appetit suam perfectionem aliis communicare, ita proprium suum complementum accipere. Atqui appetitus innatus potentiae passivæ nequit consistere in ulla actione; sed debet esse ipsa potentia quatenus cum bono sibi conveniente naturalem proportionem habens. Ergo...

Solvuntur difficultates.

217.—Obj. I. Facultas pura et omni actu destituta res est mere abstracta, quæ ut talis existere nequit. Ergo facultas omnis intrinsece involvit in se conatum quemdam ab ejus operationibus realiter distinctum, qui actus quidam initialis et imperfectus dici debet.

Resp.—*Neg. ant.*—Actus realiter distinguitur a facultate operativa sicut effectus a causa. Quæ autem realiter distinguuntur, ab invicem separari queunt. Ergo optime existere poterit facultas operativa sine ullo actu ab illa profecto; sicut potest existere causa sine ullo ex iis effectibus, quos producere valet.

218.—Obj. II. Sine perpetuo et constante nisu facultatis ad operandum, qui actus quidam initialis sit et quid ab ipsa continuo fluens, impossibile est explicare ejus actiones. Ergo nisus hic constans seu actus initialis in facultatibus operativis agnoscendus est.

Resp.—*Neg. ant.*—Ad hoc ut facultas quælibet activa operationes suas eliciat, sufficit ei integritas suæ intrinsecæ virtutis in actu primo proximo ad agendum constituta. Virtus enim hæc ipsa est appetitus innatus actionis et tendentia ad illam tamquam ad bonum sibi consentaneum.

219.—SCHOLIUM.—Circa appetitum innatum sequentia præ oculis habenda sunt: 1.º Nulla res appetitu naturali appetit nisi bona possibilis et sibi naturaliter convenientia: impossibile enim nullus appetitus serius existere quit; non convenientibus autem deficit illa proportio, quæ requiritur ad appetitum naturalem. 2.º Ad appetitum innatum in potentiis passivis non suf-

ficit mera capacitas receptiva, hæc enim habetur in ordine etiam ad bona naturaliter indebita; sed præter capacitatem requiritur connaturalitas supra explicata, quia in hac connaturalitate præcise sita est essentia appetitus naturalis. 3.^o In rebus omnibus invenitur, non modo appetitus naturalis seu innatus, sed etiam *odium*, *gaudium* et *tristitia* ejusdem generis: quia omnis res, sicut naturaliter appetit bona suæ naturæ congruentia, ita gaudet illorum assecutione, odio habet illis contraria et tristitia afficitur eorum præsentia. 4.^o Appetitus elicited, utpote cognitionem sequens, potest esse inanis et circa res naturæ incongruas versari; secus vero appetitus innatus, cum sit ab ipso Auctore naturæ rebus impressus.

§ II. QUÆNAM SIT APPETITUS SENSITIVI NATURA, QUODNAM EJUS OBJECTUM ET QUALES EJUS ACTUS.

220.—Appetitus et pro actu et pro facultate sumi potest ut supra dictum est (213). Hic vero, sicut et in paragraphis tam præcedente quam subsequente secundo modo est intelligendus: unde appetitus sensitivus definiri potest: *Facultas appetitiva boni per sensum apprehensi*. Porro, ut quæ de hoc appetitu dicere intendimus, clarius pateant, sequentes propositiones probandas suscipimus.

PROPOSITIO PRIMA.

Existit in homine appetitus sensitivus: qui facultas quædam est in cerebro præsertim suam sedem habens.

221.—*Prob. 1.^a p.*—Quamcumque formam seu essentiam sequitur inclinatio quædam ejusdem generis, qua in proprium finem naturaliter feratur. Atqui in homine, præter formam physicam, quam sequitur appetitus naturalis, dantur formæ rerum in cognitione tum sensitiva tum intellectiva objective reluctantes: quod in causa est, ut anima nostra per sen-

sum et intellectum quodammodo fiat omnia. Ergo in homine præter appetitum naturalem dantur alii duo elicitivi, sensitivus nempe et intellectivus (1).

222.—*Prob. 2.^a p.*—Appetitus sensitivus ejusdem conditionis esse debet ac sensus, cujus cognitione regitur et ad agendum movetur. Atqui sensus facultas organica est, ut ex supra dictis constat (97). Ergo....

223.—*Prob. 3.^a p.*—1.^o Appetitus sensitivus ibi sedem suam habere debet, ubi interna sensibilitas existit: tum quia per eam immediate regitur, ac proinde illi conjunctus sit oportet; tum etiam quia illi intime unitus esse debet et quodammodo identificatus, ne cæce omnino et sine ulla cognitione in objecta feratur. Atqui sensibilitas interna in cerebro præsertim residet, ut supra ostensum est (103). Ergo.... 2.^o Observationes physiologicæ et clinicæ a recentioribus magno numero adhibitæ eo omnes collineare videntur, ut radicem tam motus quam sensibilitatis totius in cerebro esse ostendant (103, 6.^o). Atqui appetitus sensitivus ibi reponi debet, ubi radix motus jacet; quoniam facultas locomotiva per appetitum sensitivum immediate movetur, ut infra ostendetur. Ergo...

Solvuntur difficultates.

224.—Obj. I. Appetitus sensitivus, non in cerebro, sed in corde reponi debet. Nam: *a*) Passiones hujusce appetitus, quæ actus quidam illius sunt, in corde sentiuntur; cum cor lætitia dilatetur, tristitia constringatur et pro diversitate affectuum diversimode concutiatur. *b*) Omnes homines sedem amoris in corde collocant, dicentes: *Diligo Petrum, Joannem, etc. toto corde.* *c*) Appetitus sensitivus intime conjunctus esse debet principio motuum interiorum, quibus vita vegetativa in animali perficitur. Sed principium hoc in corde sedem suam habet; hoc enim motu suo naturaliter totum animalis sanguinem

(1) Cfr. S. Thom., *Summ. Theol.* 1. p. q. 80, art. 1.

per venas et arterias impellit atque ita alimentum in singula corporis organa portat. Ergo... (Ita Aristoteles et cum eo quamplurimi philosophi antiqui),

Resp.—*Neg. ant.*—Ad prob. 1.^{am} *Dist. assert.*: Passiones appetitus sensitivi, id est, *effectus naturales passionum* sentiuntur in corde, *Conc.*: *ipsæ passiones*, *Neg.* Inter cerebrum, ubi sensibilitas interna et appetitus sensitivus resident, et cor, quod principium est totius vitæ vegetativæ, intima communicatio existit. Nam et cor diversis suis modis se contrahendi ac dilatandi facit, ut sanguis multiformiter ad cerebrum defluat, ex quo magna perceptionum et affectuum in facultatibus sensitivis varietas resultat: et cerebrum commotiones illas nerveas, quibus perceptiones suas et appetitiones facultates sensitivæ perficiunt, ad cor transmittit; quod utpote nervis etiam sensitivis instructum, eas vere sentit atque experitur. Hinc passiones appetitus sensitivi eatenus in corde sentimus, quatenus commotio cerebri, qua ipsæ fiunt, ad cor usque per nervos *pneumo-gastricos* diffunditur, atque ibi quasi repercussa sentitur.

Ad prob.—2.^{am} *Dist. assert.*: Omnes homines sedem amoris in corde collocant, etc.; *quatenus in corde sentiunt commotiones organicas per nervos pneumo-gastricos* a cerebro, *ubi amor producitur, ad illud transmissas*, *Conc.*: *quatenus in corde ipso producuntur affectiones amoris*, *Neg.*

Ad prob.—3.^{am} *Conc. maj. et neg. min.* Ad hujus vero rationem additam *respondeo negando consequentiam*. Cor enim motibus suis dilatationis et compressionis est quidem prima radix vitæ vegetativæ: sed non ideo debet in eo collocari sedes affectuum, quia vita vegetativa naturaliter et sine ulla prævia cognitione aut sensitiva appetitione perficitur.

225.—*Obj. II.* Cor, utpote nervis sensitivis instructum, aptum est ad sentiendum. Sed appetitus sensitivus ex rationibus in probatione theseos allatis debet esse intime conjunctus sensui. Ergo cor vere ac proprie sedes est appetitionum sensitivarum, seu affectuum.

Resp.—*Conc. maj. et min., dist. cons.*: Ergo cor vere ac proprie sedes est *aliquarum* appetitionum sensibilibium, *Conc.*: *omnium*, *Neg.* Appetitus communis seu princeps, qui sensui

communi respondet, in cerebro sedem suam habere debet ob rationes in probatione theseos allatas. Sed præter hunc appetitum circa omnia objecta sensibilia versantem, bene existere possunt alii particulares, qui particularibus sensibus attemperantur, ipsisque in eodem corporis loco conjuncti existant. Unde, cum tactus per totum corpus diffundatur et in corde speciali quodam modo exerceatur; facile concedi potest, in corde etiam *aliquas* a nobis appetitiones sensitivas fieri. Et hoc quidem valde probabile reputat Losada ob rationes minime contemnendas (1).

PROPOSITIO SECUNDA.

Appetitus sensitivus in concupiscibilem et irascibilem dividitur: probabilius autem hic ab illo non realiter sed ratione tantum differt.

226.—Prænot.—Circa primam partem nulla opinionum diversitas est; secus vero circa secundam, Thomistis pro reali distinctione stantibus, Nostris vero atque Scotistis distinctionem rationis tuentibus.

227.—*Prob. 1.^a p.*—«In rebus naturalibus corruptibilibus, ut optime scribit S. Thomas, non solum oportet esse inclinationem ad consequendum convenientia et refugiendum nociva, sed etiam ad resistendum corrumpentibus et contrariis, quæ convenientibus impedimentum præbent et ingerunt nocumentum (2)». Hæc enim omnia ipsis necessaria sunt ad se in existentia accepta conservandas. Ergo in homine etiam utraque hæc inclinatio agnoscenda est, cum sit natura sua corruptibilis et influxui agentium contrariorum subjectus. Atqui prima vocatur *appetitus concupiscibilis*, secunda vero *appetitus irascibilis*. Ergo...

228.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Appetitus cognitioni per quam regulatur conformis esse debet. Atqui cognitiones per quas in-

(1) Cfr. ejus tractatum *de anima*, disp. V, cap. IV. nn.

132-133.

(2) S. Thom., *Summ. Theol.* 1. p. q. 81, art. 2.

mediate regulatur appetitus sensitivus, ad unam et eandem facultatem pertinent, quæ diversis muneribus fungitur (99). Ergo appetitus sensitivus quoque una tantum facultas est, quæ pro temporum et locorum diversitate munera diversa concupiscendi et irascendi exercet. 2.º Idem est mobile in termino a quo incipit moveri, in ipso motu, et in termino ad quem suo motu pervenit, ut supra de ratione cum intellectu realiter identificanda disserebamus (179). Sed irascibilis in se movendo contra difficultates insurgentes incipit a concupiscentiæ actu et pro termino sui motus habet gaudium concupiscentiæ respondens. Nam, ut optime ait D. Thomas, «omnes passionibus irascibilis incipiunt a passionibus concupiscibilis et in eas terminantur: sicut ira nascitur ex illata tristitia, et vindictam inferens in lætitiâ terminatur (1)». Ergo irascibilis realiter a concupiscibili non differt. 3.º Eiusdem facultatis est intendere finem seu bonum aliquod, et eligere media ad ejus consecutionem. Sed intendere finem est proprium concupiscibilis, actus autem irascibilis non sunt nisi media ad consequendum bonum a concupiscibili intentum. Ergo concupiscibilis ipsa elicit actus irascibilis, ac proinde ab ea realiter non differt.

Solvuntur difficultates.

229.—Obj. I. Interdum anima rebus tristibus se ingerit contra inclinationem concupiscibilis, ut difficultates vincat. Atqui actus hî procedere requeunt a concupiscibili, nulla enim potentia operatur contra suam inclinationem naturalem. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et dist. min.* Actus prædicti procedere nequeunt a concupiscibili, *quatenus simpliciter intendente bonum delectabile*, *Conc.:* *quatenus media ad hujus boni consecutionem eligente*, *Neg.* Hinc ad rationem additam. *Dist. assert.:* Nulla potentia operatur contra suam inclinationem *omnimodam*, *Conc.;* *partialem*, *Neg.* Appetitus sensitivus *primario* quidem *et per se* delectabilia quærit; *secundario* autem *et per accidens* etiam ardua et molesta aggreditur, ut per ea ad delectabilia perveniat: unde non est contra omnimodam ejus inclinationem in ardua et molesta tendere.

(1) Id. *ibid.*

230.—Obj. II. Passiones concupiscibilis et irascibilis sunt inter se contrariæ: unde concupiscentia accensa minuit iram; et ira accensa minuit concupiscentiam, ut in pluribus. Sed contraria nequeunt ex eodem principio procedere. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et dist. min.*—Contraria nequeunt ex eodem principio præcedere, *si hoc principium non sit virtualiter multiplex*, Conc.: *secus*, Neg. Quod ardens concupiscentia minuatur iram et vice versa, minime probat has duas species actuum ex diversis potentiis procedere. Nam, ut recte notat Suarez (1), ipsamet concupiscentia circa unam rem diminuitur ex concupiscentia circa rem aliam propter limitationem facultatis ad plura simul attendere non valentis.

231.—Hinc non incongrue dicere possumus, S. Thomam specie tenus sententiæ nostræ contradicere, dum ait loco supra citato concupiscibilem et irascibilem non reduci in unum principium. Nam ex una parte rationes ad id probandum ab eo allatæ solam distinctionem rationis harum potentiarum evincunt; ex altera vero ipse Sanctus Doctor notat, ut ex verbis ejus supra recitatis liquet, passiones irascibilis a passionibus concupiscibilis incipere et in eas terminare; quod signum est illas omnes ab eadem potentia realiter procedere.

PROPOSITIO TERTIA.

Objectum adæquatum appetitus sensitivi est bonum sensibile; quod quidem concupiscibilis quatenus delectabile, irascibilis vero quatenus defensibile attingunt.

232.—*Prob. 1.^a p.*—Tam late patere debet appetitus sensitivus, quam sensus communis, per quem immediate regulatur; siquidem facultates appetitivæ apprehensivis naturaliter respondet. Atqui sensus communis circa bonum sensibile omnium aliorum versatur; ac proinde bonum sensibile pro objecto habet in tota sua latitudine sumptum. Ergo idem de appetitu sensitivo dicere oportet.

233.—*Prob. 2.^a p.*—Concupiscibilis respicit bonum sensibile, quatenus in se ipso bonum est et dignum ut propter se ip-

(1) Suarez, *de anima*, lib. 5, cap. 4, n. 4.

sūm amietur; irascibilis autem quatenus est dignum ut propter illius possessionem ardua et molesta vincantur. Sed *a*) bonum sensibile non est dignum ut propter se amietur ab appetitu sensitivo nisi ratione suæ delectabilitatis; cum appetitus hic honestatem, ut talem, attingere nequeat: *b*) objectum esse dignum ut propter illius possessionem ardua et molestia vincantur, idem est ac in se ipso defensibile esse. Ergo... (1)

PROPOSITIO QUARTA.

Actus appetitus concupiscibilis sunt sex; scilicet, amor et odium, desiderium et fuga, gaudium et tristitia: actus vero irascibilis sunt quinque; spes nempe et desperatio, audacia et metus, ac denique ira.

234.—*Prob. 1.^a p.*—Bonum et malum possunt in cognitione exhiberi vel ut simpliciter talia, vel ut futura, vel ut præsentia; præteritum enim, ut tale, non habet rationem boni aut mali respectu appetitus sensitivi. Atqui primo modo repræsentedata generant in appetitu *amorem* et *odium*, secundo autem *desiderium* et *fugam*, tertio denique *gaudium* et *tristitiam*. Amore enim objectum conveniens appetimus, odio disconveniens detestamur; desiderio bonum absens prosequimur, fuga a malo futuro et veniente nos avertimus; gaudio præsentedata boni delectamur, tristitia denique ob præsentedata mali alicujus affligimur. Ergo...

235.—*Prob. 2.^a p.*—Sæpe bonum sensibile, quod desideramus, obstaculis quibusdam ejus assecutionem impredientibus circumdatum apparet. Tunc vero vel obstacula hæc superabilia videntur, vel insuperabilia. Si *primum*; appetitus in eo prosequendo se obfirmat et *spei* actum elicit, quo adversus difficultates irruen-

(1) Cfr. Suarez, *de anima*, lib. 5, cap. 4, n. 8.

tes erigitur. Si *secundum*; spe dejicitur et actum emittit *desperationis*, quo a re desiderata propter æstimatam impossibilitatem recedit. Pariter malum sensibile, quod fugimus, vel superabile apparet vel secus. Si *primum*; appetitus in eo fugiendo persistens actum *audaciæ* producit, quo ad illud a se avertendum excitatur. Si *secundum*; ab audendo desistens in actum *timoris* incidit, quo ob malum imminens et difficile vitabile trepidatione concutitur. Denique ex præsentia mali ab aliquo illati resultat in appetitu motus quidam iræ, quo vindictam de eo sumere desiderat. Atqui nullus alius præter hos actus in appetitu irascibili inveniri potest: nam gratitudo, quæ ex præsentia boni accepti oritur et iræ aliquo modo contraria videtur, non ad irascibilem, sed ad concupiscibilem pertinet. Ergo actus appetitus irascibilis sunt quinque prædicti.

236.—SCHOLIUM.—Actus appetitus sensitivi, qui etiam *sensualitas* et *concupiscentia* vocatur, communiter *passiones* appellari solent; quia sponte naturæ in nobis exoriuntur et eos sæpe etiam inviti patimur.

PROPOSITIO QUINTA.

Appetitus sensitivus ope rationis a rationali movetur: unde hic dominium, non despoticum, sed politicum in illum exercet.

237.—*Prob. 1.^a p.*—Teste experientia, appetitus rationalis, qui *voluntas* vocari solet, habet virtutem faciendi, ut in appetitu sensitivo quidam motus amoris, odii, desiderii, desperationis, etc. exsurgant. Ergo appetitus sensitivus a rationali movetur.

238.—*Prob. 2.^a p.*—Voluntas nequit appetitum sensitivum movere nisi propositione alicujus objecti sensibilis, cujus cognitio eum ad agendum excitet; ap-

petitus enim sensitivus est inclinatio quædam in objectum sensibile cognitum. Sed ad hoc indiget auxilio rationis, quæ objectum illud inveniat et appetitui convenienter applicet; voluntas enim, utpote potentia non cognoscitiva, efficere hoc per se ipsam nequit. Ergo appetitus sensitivus a rationali ope rationis movetur.

239.—*Prob. 3.^a p.*—1.^o Voluntas appetitum movet, non necessitando, sed quasi consilium ope rationis præbendo; imperio enim suo facit ut ratio aliquos discursus eliciat circa aliquod objectum ac per illos æstimativam, qua immediate regitur appetitus sensitivus, ad suum iudicium pertrahat. Atqui movere, non necessitando, sed quasi consilium præbendo, est politicum dominium exercere; in hoc enim distinguitur dominium politicum a despotico, ut in primo cives quasi liberi obediant, in secundo autem quasi servi necessitentur. Ergo... 2.^o Id etiam experientia confirmatur. Nam sæpe, renuente etiam voluntate, motus quidam in appetitu sensitivo exsurgunt: sæpe etiam ratio omnibus suis discursibus nequit sensum ad suum iudicium pertrahere, quo fit ut voluntas non possit motum ab ipsa intentum in appetitu excitare (1) Ergo...

Solvuntur difficultates.

240.—Obj. I. Si in homine appetitus sensitivus rationali subdatur, erit inferioris conditionis appetitu brutorum: cum hic independens existat. Atqui hoc dici nequit. Ergo...

Resp.—*Neg. maj.*—Ad ejus probat. *nego conseq.* Capacitas hujus subjectionis appetitum nostrum nobilitat, cum

(1) Cfr. S. Thomas, *Summ. Theol.* 1. 2. q. 17. art. 7; item Suarez, *de anima*, lib. 5, cap. 6.

sic ad ordinem intellectualem quodammodo elevetur. Profecto, ut optime ad hæc respondet Suarez, «melius est nobilissimo obedire quam esse infimum in imperando» (1).

241.—Obj. II. Si appetitus sensitivus voluntati tantum politice subdatur, liber erit in obediendo ejus mandatis. Atqui appetitus vera libertate caret. Ergo non politice sed despotice a voluntate regitur.

Resp.—*Dist. maj.*—Liber erit libertate *metaphorica et similitudinaria*, Conc.: *libertate stricta et vera*, Neg. Libertas appetitus in hoc consistit, quod voluntas, quantumvis velit, nequit sæpe per discursus rationis obtinere ut appetitus motus quosdam eliciat, quos ipsa intendit; ac ne in actus quosdam erumpat, quos ea renuit: in quo quidem libertatem civium imitatur. Sed tota illa reluctantia appetitui necessaria est, et ab eo sponte naturæ fit: actuum enim suorum nunquam et dominus; sed proposito objecto, necessitate trahitur.

§ III. QÆNAM SIT APPETITUS RATIONALIS
SEU VOLUNTATIS NATURA, QUODNAM EJUS OBJECTUM
ET QUALES EJUS ACTUS.

242.—Appetitus rationalis est *facultas appetendi bonum a ratione propositum*. Existentia hujus appetitus et testimonio conscientiæ constat et in prima præcedentis paragraphi propositione ostensa est. Nunc ergo de ejus natura, objecto et actibus nobis agendum est.

PROPOSITIO PRIMA.

Voluntas est potentia quædam spiritualis per rationem immediate directa.

243.—*Prob. 1.^a p.*—Facultates appetitivæ apprehensivis respondent. Sed facultas apprehensiva, cui voluntas respondet, est ratio; hæc autem est potentia

(1) Suarez, *loc. cit.* n. 3.

quædam spiritualis et inorganica. Ergo et voluntas talis esse debet.

244.—*Prob. 2.^a p.*—Unaquæque facultas appetitiva immediate dirigitur per apprehensivam ejusdem generis, quæ ei objectum appetendum proponit. Sed facultas hujusmodi objectum appetendum voluntati proponens non alia est nisi ratio. Ergo ab ea voluntas immediate dirigitur.

PROPOSITIO SECUNDA.

Objectum voluntatis est bonum intellectu cognitum et tamquam conveniens ipsi subjecto volenti representatum.

245.—*Prob. 1.^a p.*—1.^o Voluntas, ut statim probabitur, nequit objectum aliquod velle nisi ab eo excitata et ad ipsum attracta. Sed solum bonum, sive verum, sive apparens, potest voluntatem excitare et ad se attrahere; nam appetitu naturali et innato non nisi ad bonum fertur. Ergo... 2.^o Voluntas in omnibus suis actibus operatur ex nativa sua propensione ad bonum, in qua consistit appetitus naturalis. Sed nativa ejus inclinatio ad bonum non potest nisi ad bonum eam inclinare. Ergo voluntas solum bonum pro objecto habere valet.

246.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Voluntas nequit in aliquod objectum tendere nisi ab eo excitata et attracta: nam inclinatione quidem naturali ad bonum in genere fertur, sed simul indifferens ex se est ut ex particularibus bonis uni potius quam alteri adhæreat; ac proinde indiget excitari et attrahi ab illis, ut in eorum bonitate motivum suæ adhæSIONIS fundare queat. Sed objectum nequit, voluntatem excitare et ad se attrahere nisi quatenus relucens in aliqua idea intellectus.

Ergo objectum voluntatis est bonum, non quomodo-
cumque, sed quatenus cognitum per intellectum.

2.^o Omnis inclinatio voluntatis esse debet juxta formam sibi cor-
respondentem; innata scilicet juxta formam naturalem, et elicitā
juxta formam accidentalem. Sed forma accidentalis, cui re-
spondet inclinatio elicitā, est actus intellectus idealiter objectum
repræsentans; per hanc enim repræsentationem intellectus
quodammodo fit omnia. Ergo omnis actus elicitus voluntatis
postulat sibi necessario repræsentationem idealem objecti. Hinc
illud axioma: *Nihil volitum, quin præcognitum* (1).

247.—*Prob. 3^a p.*—1.^o Tam appetitus elicitivus
quam innatus datī sunt a natura ad bonum ipsius
appetentis. Atqui innatus nequit inclinari nisi ad bo-
num naturæ appetentis conveniens. Ergo nec elici-
tivus nisi ad bonum ut conveniens per intellectum
repræsentatum. 2.^o Amor est inclinatio quædam ad bonum
tamquam ad rem in cujus possessione amans ipse quiescit. Atqui
amans quiescere nequit nisi in re, quæ cum ejus natura con-
venientiam et conformitatem servare ab eo cogitetur. Ergo...
Hinc illud Aristotelis: «*Amabile quidem bonum, unicuique
autem proprium* (2)». Et S. Thomas: «Quædam vero unio est
essentialiter ipse amor: et hæc est unio secundum coaptationem
affectus, quæ quidem assimilatur unioni substantiali, in
quantum amans se habet ad amatum, in amore quidem ami-
citiæ sicut ad se ipsum, in amore autem concupiscentiæ ut
ad aliquid sui (3)».

Solvuntur difficultates.

248.—*Contra 1.^{am} p.*—Obj. I. Non solum bonum sed etiam
malum potest a voluntate amari. Ergo ejus objectum non bo-
num sed ens dici debet, quod et bonum et malum sub se compre-

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 23, sect. 7, n. 5 et seqq.

(2) Aristot., 5 *Ethic.* c. 8.

(3) S. Thom., *Summ. Theol.* 1. 2. q. 28, art. 1, ad 2.^{um} Cfr.
Losada, *de anima*, disp. 7, cap. 3, nn. 61-63; item Suarez, *de
anima*, lib. 5, cap. 2, n. 7.

hendit. *Prob. ant.* 1.^o Si voluntas nequit amare malum, nec bonum odio habere poterit. Atqui hoc est falsum. Ergo et illud. 2.^o Homo libertate uti potest in eligendo sibi malum, ut tale est; ut cum quis v. gr. violentam sibi mortem infert. Ergo... 3.^o Damnati in Inferno cupiunt in nihilum redigi; hoc vero est maximum malum. Ergo... 4.^o Multi malum inimicis suis exoptant, præcise quia malum est. Ergo... 5.^o Possumus res etiam impossibiles amare, in quibus nulla boni ratio apparet. Ergo et ipsum malum.

Resp.—*Neg. ant.*—Ad prob. 1.^{am} *Trans. maj.*, *dist. min.*: Falsum est voluntatem odio bonum habere non posse *sub ratione mali*, *Conc.*: *sub ratione boni*, *Neg.* Deinde *dist. cons.*: Falsum est voluntatem amare malum non posse *sub ratione boni*, *Conc.*: *sub ratione mali*, *Neg.* Voluntas malum quidem amare potest, sed tantum sub ratione boni; bonum item odio habere, sed tantum sub ratione mali: quod quidem vel ipsa experientia testatur.

Ad prob.—2.^{am} *Dist.*—Homo libertate sua uti potest in eligendo malo, ut tale est, *sub ratione boni*, seu quatenus putat hoc hic et nunc sibi bonum esse, *Conc.*: *aliter*, *Neg.* Qui sibi necem temerarie infert, aut malum ad exercendam præcise suam libertatem eligit, in hoc faciendo aliquod sibi bonum inesse reputat: unde malum amplectitur quidem sciens et volens, sed sub ratione boni.

Ad prob.—3.^{am} *Trans. maj.*, *dist. min.*: Anihilatio maximum malum est; sed ut quid bonum damnatis repræsentatur, quando illam appetunt, *Conc.*: *aliter*, *Neg.* Damnati melius sibi esse judicant in nihilum redigi, quam æterna infelicitate torqueri; unde malum anihilationis appetunt sub ratione boni.

Ad prob.—4.^{am} Eadem esto distinctio. Qui enim malum suo inimico quomodocumque desiderat, hoc facit, quia judicat malum inimici sub aliquo adpectu in bonum sui ipsius redundare.

Ad prob.—5.^{am} *Dist. assert.* Possumus res etiam impossibiles amare amore inefficaci, *Trans.*; amore efficaci, *subd.*: *subjective absoluto et objective conditionato*, *conc.*: *undequaque absoluto*, *neg.* Amor inefficax, cum sit quædam complacencia in bono absolute considerato, etiam ad impossibilia fertur:

amor vero efficax non fertur ad bona impossibilia nisi sub hypothesisu suæ possibilitatis, ut cum quis dicit: *Si possem volare in cælum, volarem.*

249.—*Contra* 2.^{am} p.—Obj. II. Potest Deus sua omnipotentia virtute efficere, ut voluntas amet sine prævia cognitione: hoc enim Theologi quidam et Mystici possibile putant. Ergo saltem essentialiter non requiritur, ut objectum voluntatis sit aliquid cognitum.

Resp.—*Neg. ant.*—Nam de ratione appetitus elicivi est ut sequatur formam accidentalem in apprehensione objecti relucemem; unde intrinsece repugnat ut voluntas in aliquod objectum sine cognitione ejus prævia moveatur. Quod si aliqui Theologi et Mystici contrarium senserunt, deserenda eorum opinio est; quia omni prorsus fundamento destituta videtur.

250.—*Contra* 3.^{am} p.—Obj. III. Si de ratione objecti voluntatis est ut tamquam volenti conveniens per intellectum repræsentetur, nullus erit in nobis amor *benevolentia* aut *amicitia*, sed omnes resolventur in amorem *concupiscentia* quo nostrum nobis bonum quærimus. Sed hoc nulla ratione admitti potest. Ergo...

Resp.—*Neg. maj.*—Duplex est enim convenientia; alia scilicet *utilitatis*, altera vero *decentia* et *honestatis*. Utraque autem naturæ humanæ congruit et attemperatur; ac proinde non solum amare possumus quod est bonum nobis, sed etiam quod est bonum alteri: hoc enim naturam nostram *decet* et bonum *ejus* honestum est. Confer quæ in hanc rem latius tractat Suarez lib. 5 *de anima*, cap. 2, n. 7.

PROPOSITIO TERTIA.

Voluntatis actus generatim dividuntur:

1.^o in prosecutivos et aversativos; 2.^o in elicitos et imperatos; 3.^o in spontaneos et liberos.

251.—*Demonst.*—a) Voluntas aut bonum quærit, aut malum bono contrarium fugit. Si *primum*; actum quemdam prosecutivum producit. Si *secundum*; actum elicit aversativum.
b) Deinde in quærendo bono et fugiendo malo vel ipsa sola

operatur eliciendo suos actus, vel alias etiam potentias ad actionem applicat, ut jussa sua nativa ipsarum virtute exequantur. Si *primum*; actum producit ab ipsa elicitum. Si *secundum*; actum causat ab ea imperatum. *c*) Denique vel proposito per intellectum objecto, in illud necessitate naturæ fertur, vel libere et absque necessitate diligit. Si *primum*; actum emittit spontaneum, qui in eo a naturali distinguitur, quod hunc sine prælucente cognitione corpora operantur. Si *secundum*; actum producit liberum seu necessitate carentem. Ergo...

252.—Dixi *generatim*; quia ulterior et enucleatior actuum voluntatis divisio in Ethica perficienda est. Hoc autem loco id dixisse sufficiat, voluntatem elicere posse omnes prorsus classes actuum, qui ab appetitu sensitivo eliciuntur; *amorem* scilicet, *odium*, *desiderium*, *fugam*, *gaudium*, *tristitiam*, *spem*, *desperationem* etc., omnesque hos actus spirituales et inorganicos esse.

253.—SCHOLIUM.—Voluntatem posse applicare ad actionem potentias hominis tum apprehensivas, tum appetitivas, tum locomotrices ex testimonio conscientiae constat. Nec mirum: nam ad potestatem voluntatis spectat proprie finem intendere ac proinde applicare ad opus omnes facultates ad finem conducentes. Sic voluntas omnes has potentias ad agendum movet, ipso intellectu non excluso; et omnes reducuntur ad unum principium movens. Nec vero cum hoc pugnat, quod intellectus etiam ex sua parte moveat voluntatem. Nam, ut scribit Suarez, intellectus movet voluntatem per modum causæ finalis applicando illi objectum; voluntas vero movet intellectum effective applicando illum ad operandum (1): vel ut notat S. Thomas, voluntas movet intellectum, quantum ad exercitium actus; intellectus autem movet voluntatem, quantum ad determinationem et specificationem actus (2); et sic patet non esse idem movens et motum secundum idem.

(1) Suarez, *de anima*, lib. 5, cap. 7, n. 6.

(2) S. Thom. *Summ. Theol.*, I. 2, q. 9, art. 2.

PROPOSITIO TERTIA.

Voluntas in nullo actu elicitō coactionem, in omnibus autem necessitatem pati potest.

254.—*Prænot.*—Inter coactionem et simplicem necessitatem magna differentia est. Coactio enim consistit *in vi alicui illata*, seu *in impetu alicui contra innatam ejus inclinationem extrinsecus impresso*; ita ut patiens coactionem circa aliquem effectum nullam prorsus activitatem in eum exercent, sed simpliciter contra naturalem ejus inclinationem illum patitur, ut cum lapis vi sursum tollitur. Simplex autem necessitas nihil aliud dicit quam *invincibilem determinationem ad unum*: quæ quidem potest esse ab intrinseco, ut cum lapis pondere suæ naturæ movetur deorsum; vel etiam ab extrinseco, ut cum lapis impetu alicujus agentis extrinseci velocius movetur deorsum quam suo proprio pondere relictus. Banneziani communiter negant voluntati humanæ in actibus naturaliter liberis, manente indifferentia judicii, quo objectum non necessario connexum cum nostra felicitate putamus, necessitatem virtute divina inferri posse; contrarium autem Nostri cum Suarezio tuentur validissimis rationibus ducti.

255.—*Prob. 1.^a p.*—Actus elicited dicitur *ille, qui ab ipsa voluntate immediate emanat*. Atqui in coactione actus non emanat ex potentia vim circa illum patiente; quoniam hæc nullam in eum activitatem exercet, sed simpliciter illum patitur contra propriam suam inclinationem. Ergo...

256.—*Prob. 2.^a p.*—*a*) Imprimis felicitatem tanta necessitate appetimus, ut illam odisse minime valeamus. Imo beati in cælo eo Deum, in quo fons omnis beatitudinis existit, amore prosequuntur, ut ab illo abstinere non possint. Ergo nulli dubium esse quit Deum virtute sua omnipotente efficere posse, ut circa amorem felicitatis veram necessitatem patiamur. *b*) Deinde cetera objecta naturali quidem libertate appetimus, quia nullum eorum necessario conjunctum cum nostra felicitate judicamus. Sed quamvis hæc indifferentia ex parte judicii remaneat, ac

proinde actus voluntatis ex hac parte non sit necessarius; potest tamen necessarius esse ex parte motionis divinæ sic voluntatem ad agendum determinantis, ut hæc nequeat ei ullo modo resistere: quo in casu actus volendi a voluntate quidem eliceretur, necessario tamen, seu patiendo veram necessitatem. Ergo voluntas in actibus etiam naturaliter liberis potest necessitatem pati. Sed præter actum, quo amamus felicitatem, et illos quibus libere cetera objecta prosequimur, nullus alius dari potest. Ergo voluntas nostra in omnibus suis actibus divina virtute necessitatem pati valet.

Solvuntur objectiones.

257.—Obj. I. Voluntas est appetitus rationalis sequens cognitionem intellectus. Ergo sicut intrinsece repugnat ut appetat objectum ab intellectu non propositum, ita etiam ut necessario appetat quod ut necessarium ab eo non exhibetur (Ita Billuart, *de actibus humanis*, dissert. 2, art. 5).

Resp.—*Conc. ant. et dist. conseq.*—Ergo sicut intrinsece repugnat etc., ita etiam ut necessario appetat *ob motionem objecti* illud quod necessarium ab intellectu non exhibetur, *Conc.: ob aliud genus motionis a causa prima voluntati impressæ*, *Neg.* Implicat sane voluntatem necessario moveri et trahi ab objecto, quod ut non necessarium ab intellectu exhibetur. Sed præter motionem objecti datur alia ex parte Causæ primæ; et hæc potest necessitatem voluntati inferre, etiam stante indifferentia iudicii, si sit prædeterminans et irresistibiliter impellens ad agendum.

258.—Obj. II. Radix libertatis in ratione est. Ergo implicat, voluntatem necessario adstringi alicui objecto, circa quod se habet indifferenter ratio (Ita idem Billuart loc. cit.)

Resp.—*Dist. ant.*—*Radix naturalis* libertatis in ratione est, *Conc.: radix essentialis*, *subd.: ex parte*, *conc.: ex toto*, *neg.* Deinde *dist. cons.*: Ergo implicat voluntatem adstringi alicui objecto, circa quod se habet indifferenter ratio, *in virtute motionis ab objecto acceptæ*, *Conc.: in virtute etiam alterius cuiuscumque a Causa prima venientis*, *Neg.* Ad naturalem voluntatis libertatem sufficit quidem iudicium rationis indifferens, seu non necessario conjunctum eum felicitate; quia Deus in

præbendo suum concursum causis secundis ordinarie earum naturis se accommodat, ac proinde motionem voluntati irresistibiliter determinatam ad unum non confert. Sed ad libertatem essentialem, præter indifferentiam judicii, requiritur ut ex parte causæ primæ nulla detur motio voluntatem ad unum irresistibiliter determinans: quia secus, hac motione posita, voluntas necessario illud objectum sub indifferentia judicii propositum amplecteretur, sicut lapis virtute motionis extrinsecus impressæ velocius movetur in centrum attractionis, quam si sola naturalis attractio existeret.

259.—Obj. III. Sic se habet voluntas circa bonum, sicut intellectus circa verum. Atqui repugnat ut intellectus habeat ut certissimum objectum, quod incertum esse advertit. Ergo etiam repugnat ut voluntas amet necessario objectum, quod ut non necessarium ei ab intellectu proponitur (Ita auctor citatus).

Resp.—*Conc. maj. et min., dist. conseq.*—Ergo etiam repugnat ut amet necessario *ob motionem objecti* illud objectum, quod ut non necessarium ei ab intellectu proponitur, *Conc.: ob aliam quamcumque motionem ex parte Causæ primæ advenientem*, Neg. Adversarius tantum probat quod ei a nobis conceditur; absolute scilicet repugnare ut objectum indifferenter ab intellectu propositum voluntatem ad se necessario trahat.

260.—Obj. IV. Implicat voluntatem agere sine ulla cognitione. Atqui id contingeret, si necessario ferretur in objectum sub indifferentia propositum: nam non ageret nec regeretur per illam cognitionem, quæ repræsentat objectum ut indifferens, nec per ullam aliam. Ergo... (Ita idem auctor in loc. supra cit.)

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.*—Ad ejus probat. *Dist.:* Non ageret nec regeretur per illam cognitionem, quæ repræsentat objectum ut indifferens, *quatenus majore vi moveretur in objectum, quam motioni objecti naturaliter debetur*, *Conc.;* *quatenus in objectum incognitum ferretur*, Neg. Ad rem Eximius Doctor Suarez: «Ad tertium de objecto cognito respondetur, ut voluntas necessitetur a Deo, non oportere ut ipsa velit necessitari, sed solum quod necessitetur ut velit; sicut quando voluntas libere vult, non oportet ut modum ipsum libere operandi directe velit, sed ut in actu exercito libere velit. Unde fieri potest ut quis libere velit, et id ignoret, imo erret credens

non libere operari, ut hæretici errant. Et similiter e converso, potest quis a Deo necessitari ad volendum, ipso neque sciente, neque volente, sed solum directe volendo objectum propositum: et ideo nihil refert quod objectum non supponatur cognitum vel iudicatum necessarium. Neque propterea voluntas feretur in incognitum; quia non fertur in necessitatem actus vel objecti, sed in ejus bonitatem. Neque etiam indifferentia cognita obstare potest necessitati actus ab extrinseca motione provenienti: quia licet sit indifferens iudicium objecti cogniti, per efficaciam extrinseci agentis impeditur voluntas ne actum circa tale objectum suscipere possit, tendendo necessario in bonitatem objecti, *nihil curando de indifferentia ejus* (Suarez, *Prolegom. I de gratia*, cap. 4. n. 18).»

PROPOSITIO QUARTA.

Voluntas in plerisque suis actibus vera indifferentie libertate gaudet.

261.—Prænot.—Liberum dicitur illud, quod immune est a necessitate invincibiliter ad unum determinante: unde libertas in genere immunitas quædam a necessitate est. Necessitas autem hæc extrinseca vel intrinseca esse potest; secundum quod principium unde oritur, extrinsecum nobis est vel intrinsecum. Hinc duplex enascitur species libertatis, alia scilicet a coactione, alia vero a simplici necessitate. Porro libertas a coactione in immunitate ab omni vi extrinseca seu coactione consistit; communisque est omnibus rebus tam materialibus quam spiritualibus in omnibus actionibus, quas sine ullo obstaculo sponte naturæ operantur: unde et planta dicitur libere germinare, et fluvius libere currere, cum vi sua intrinseca sine ullo obstaculo naturale hos effectus producant. Libertas autem a simplici necessitate in immunitate ab omni necessitate tam intrinseca quam extrinseca sita est; solisque spiritibus convenit, qui in actibus suis voluntariis eliciendis nullam necessitatem neque extrinsecam neque intrinsecam generatim patiuntur.

262.—Hæc libertas a simplici necessitate *libertas indifferentiæ* vocari solet; quia ens illa præditum, positum etiam omnibus

conditionibus, quæ ex parte actus primi ad agendum requiruntur, indifferentia activa gaudet ad agendum vel non agendum, ad agendum hoc vel illud, et ad agendum hoc vel illius contrarium (O. 447-449). Hinc libertas indifferentiæ communiter definiri solet *ea voluntatis dos seu proprietas, qua, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere vel non agere, agere hoc vel illud, et agere hoc vel illius contrarium*. Ex hac vero definitione sequitur triplicem dari libertatem indifferentiæ, *contradictionis* scilicet, *specificationis*, et *contrarietatis*. Prima est *potentia agendi vel non agendi*; secunda *potentia agendi hoc vel illud*; tertia denique *potentia agendi hoc vel illius contrarium positis omnibus ad agendum requisitis*.

263.—Libertatem indifferentiæ ab homine remouent: 1.º *Fatalistæ*, juxta quos omnes res humanæ fato seu indeclinabili necessitate reguntur; 2.º *Pantheistæ*, *Materialistæ* et *Positivistæ*: nam primi omnes res finitas nihil aliud esse dicunt quam determinationes quasdam substantiæ diuina vi sua interna necessario sese evoluentis; duo vero ultimi nihil nisi materiam et materiæ modificationes admittunt; 3.º *Jansenistæ* et quotquot cum eis spontaneum cum libero confundunt nullam aliam libertatem voluntati nostræ tribuentes quam immunitatem a coactione seu necessitate extrinseca; 4.º denique illi omnes qui cum Leibnitio statuunt voluntatem nostram in unoquoque momento irresistibiliter trahi atque ad actionem determinari a majore bono ex illis omnibus quæ eam sollicitant.

264.—*Demonst.*—1.º *Ex constanti et invincibili omnium hominum persuasione*. Nam unicuique hominum, illis ipsis qui animæ nostræ libertatem negant non exclusis, est de sua libertate indifferentiæ ita persuasum, ut in hac sua persuasione totam vitam suam rationalem, moralem ac politicam fundet. Ex hac enim intima persuasionem nascuntur *deliberationes* ad videndum quid data occasione facere oporteat, *pacta* et *contractus* quibus homines se obligant ad aliquid faciendum in determinatis rerum adjunctis, *præcepta*

et *leges* quibus superiores suis subditis quarumdam rerum observantiam injungunt, *præmia* ac *pœnæ* quæ observatoribus et infractoribus legum ab earum auctoribus decernuntur, *dictamina rationis* quibus ob libere servatam regulam honestatis interius gaudeamus et ob eam aliqua in re libere violatam nos reprehendimus ac vituperamus, *laudes* et *vituperia* quibus ceteros homines prosequimur ob rem aliquam honestam aut turpem libere ab eis factam, etc., etc. Atqui impossibile prorsus est ut talis hominum persuasio in falsitate fundata existat; tum quia universalis, constans et uniformis est, ac proinde non nisi a rationali hominum natura ortum suum habere potest; tum etiam quia absolute necessaria est, ut homines in societate vivere queant. Ergo...

2.^o—*Ex sensu intimo*.—Nam hic sensus unicuique testatur se nullam necessitatem, neque internam seu ex parte objecti cogniti, neque extrinsecam seu ex parte agentium exteriorum in plerisque voluntatis actionibus experiri. Objecta enim sese nobis communiter exhibent ut appetibilia ex una parte et ut repudiabilia ex altera, ac proinde ut non necessario neque ad amorem neque ad odium sui voluntatem trahentia. Agentia vero extrinseca imponunt quidem voluntati necessitatem coactionis quoad actus imperatos, ad actus autem ejus elicitos minime pertingunt. Unde, teste ipso sensu intimo, unusquisque, *pro lubitu*, prout vult, quando vult, et quomodo vult actus a voluntate elicitos ponit: et experientiam hujus facti quoties vult in se ipso sentire valet. Sed actus hujusmodi sine ulla experientia necessitatis et pro lubitu voluntatis facti manifeste cum libertate indifferentiæ a nobis fiunt. Ergo...
—Nec vero dicas actum posse fieri necessario a nostra voluntate, quin necessitas ista sentiatur, juxta probata in præcedente

thesi contra Bannezianos. Nam hoc quidem verum est, sed argumentum nostrum in testimonio sensus intimi fundatum non infirmat. Nam necessitas illa ex parte solum Causæ primæ proveniens, utpote supernaturalis et insensibilis, insensibilem quoque necessitatem produceret. Ast necessitas sive ab objecto sive ab agentibus naturalibus causata, utpote ex actione exorta sensibiliter in nobis recepta, non posset non a nobis sentiri si existeret. Unde ex absentia hujus experientiæ optimo jure concludimus actiones nostræ voluntatis sine ulla necessitate ab ea fieri. Nullo enim modo cogitare possumus Causam primam motione ulla supernaturali et naturæ voluntatis contraria actus nostros libertate sua privare, cum hoc plane irrationale sit.

3.^o *Ratione.*—Voluntas, utpote appetitus rationalis, sequitur cognitionem rationis. Atqui sunt quamplurima objecta, quæ rationis cognitio repræsentat ut indifferentia seu ut non necessario appetenda, illa scilicet omnia quæ absolute necessaria ad felicitatem a nobis non censentur. Ergo in his appetendis vel non appetendis voluntas nostra libertate indifferentiæ gaudet. (Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 9, sect 2, n. 17).

Solvuntur difficultates.

265.—Obj. I. Argumentum ex testimonio sensus intimi desumptum nullius valoris est. Nam sensus intimus non versatur nisi circa phænomena interna: libertas autem proprie non in phænomenis sed in illorum causa seu voluntate est, cum sit potestas agendi vel non agendi. Ergo...

Resp.—*Neg. assert.* Ad prob. *conc. ant. et neg. cons.* Sensus enim intimus testatur se nullam necessitatem sentire in quamplurimis actibus a nostra voluntate profectis, atque ex hoc sensus intimi testimonio ratio sponte sua ac sine ullo fere discursu concludit hos actus sine ulla necessitate fieri; nosque proinde vera libertate gaudere ad illos ponendos vel omittendos. Quamvis fatendum est cum Suarezio argumentum

ex testimonio sensus intimi desumptum «non esse ita perspicuum ac per se notum, quin homini p̄otervo relinquatur aliquis tergiversandi locus: alioqui nulla potuisset esse de hac re inter ipsos homines opinionum aut errorum diversitas (1).»

Inst.—1.º Sensus intimus nequit testari necessitatem vel absentiam necessitatis actus voluntatis afficientes. Libertas enim et necessitas non sunt quid physicum in actu sed tantum quid morale ex modo causandi proveniens a voluntate adhibito. unde idem numero actus physicus, ut sapienter docet Suarez (2), converti potest ex libero in necessarium et vice versa, secundum diversum modum causandi, absque ullo modo physico illi superaddito. Ergo...

Resp.—*Dist. assert.*—Sensus intimus nequit *directe* testari necessitatem vel absentiam necessitatis actus voluntatis afficientes, Trans.; *indirecte*, Neg. Ad rat. addit. *concedo antec. et sub dist. data nego consequ.* Cum libertas non sit quid physicum in actu, nequit eam in ipso actu *directe* experiri sensus intimus; at experitur eam *indirecte* in indifferentia iudicii quo voluntas ad agendum dirigitur et in potestate ponendi vel non ponendi sub illa actus varios pro lubito nostro, quæ nobis modo sensibili inest. Ad rem optime Suarez: «Itaque non solum experimur; mutata cognitione vel apprehensione objecti, sed etiam eadem stante, situm esse in voluntate nostra sedere aut stare, hac vel illa via incedere, et similia. Signum ergo est hunc varium operandi modum formaliter seu proxime non consistere in discursu et apprehensione rationis, sed in libertate vel indifferentia (3).»

Inst.—2.º Si lapis vel acus magnetica cognitione pollerent, libertate indifferentiæ se elicere putarent

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 19, sect. 2, n. 15.

(2) Id., *De actibus hum.*—Tract. secund. *de volunt. et invol.* disp. 1, sect. 3, nn. 18-23.

(3) Suárez, *Metaphys.* disp. 19, sect. 2, n. 15.

actus suos tendendi in centrum attractionis, cum tamen solam libertatem a coactione habeant. Ergo idem error subesse judiciis nostris in testimonio sensus intimi fundatis dicendus est.

Resp.—*Neg. ant.*—In prædicta hypothesis lapis et acus magnetica necessitatem suarum actionum sentirent; sicut nos necessitatem amandi felicitatem in nobis experimur, videntes nos haud posse, quantumvis velimus, actum aliquem elicere, quo felicitati serio et sincere valedicamus.

266.—Obj. II. Bruta libertate indifferentiæ carent, et tamen habent quoque suo modo præmia ac pœnas, quibus ad agendum excitantur. Ergo præmia ac pœnæ inter homines minime probant eos libertate indifferentiæ gaudere.

Resp.—*Conc. ant. ac neg. cons. et parit.* Repræsentatio præmiorum ac pœnarum tali modo afficit belluas, ut eas ad agendum determinet. Hoc vero minime accidit hominibus, qui sub hac ipsa repræsentatione adhuc domini suorum actuum remanent, ut quotidiana testatur experientia.

267.—Obj. III. Voluntas nostra semper determinatur a maximo bono ex illis omnibus, quæ per intellectum in singulis momentis ei repræsentantur: tum quia electio boni minoris esset effectus quidam sine ratione sufficiente; tum etiam quia voluntas eligendo bonum minus irrationaliter ageret, quod est impossibile. Ergo vera indifferentiæ libertate caret.

Resp.—*Neg. antec.*—Ad prob. 1.^{am} *Neg. assert.* Duplex est ratio sufficiens actus a voluntate elicitæ; alia nempe quæ infallibiliter connectitur cum actu, et hæc non est nisi libera determinatio voluntatis, qua pro lubitu suæ indifferentiæ activæ libere elegit unum ex extremis ab intellectu propositis; alia vero hac connexionione infallibili destituta et motivum sufficiens voluntati exhibens mediante cognitione intellectus, ut amplectatur, *si velit*, aliquod determinatum objectum. Nulla autem ex his rationibus deërit voluntati, cum bonum minus præ majori amplecti velit sub judicio rationis indifferente.

Ad prob. 2.^{am} *dist. assert.*: Voluntas eligendo bonum minus præ majori irrationaliter ageret, *quatenus agendo contra iudicium prudentiæ peccaret*, Trans.: *quatenus nullo iudicio rationis prælucente ageret, quod in objecto magis bono veram repudiabilitatem manifestaret*, Neg. Voluntas eligendo minus bonum præ majore poterit quidem *moraliter* peccare: sed non deerit ei ex parte objecti sufficiens ratio ad *physice* operandum hoc modo; imo si talis ratio abesset, electio evaderet impossibilis et cum electione ipsa possibilitas moraliter peccandi.

Inst.—Libera determinatio voluntatis nequit esse ratio sufficiens electionis minoris boni præ majore. Electio enim a determinatione ipsa minime distinguitur; ac proinde dicere liberam determinationem voluntatis esse rationem sufficientem electionis est idem ac electionem sui ipsius rationem sufficientem ponere. Ergo...

Resp.—*Dist. assert.*—Libera determinatio voluntatis nequit esse ratio sufficiens electionis prædictæ, *intelligendo per liberam determinationem actum voluntatis, cum quo realiter identificatur*, Conc.: *intelligendo per hanc determinationem ipsam voluntatem ratione suæ perfectionis spirituatæ et indifferentiæ activæ pro nutu suo eligentem unum bonum præ alio*, Neg. Libera determinatio, utpote actio quædam, et in sua causa et in suo termino considerari potest. Considerata in suo termino, cum quo realiter identificatur, rationem sui sufficientem habet in voluntate prout libere producente illam et non aliam. Considerata autem in sua causa nullam aliam habet rationem sui sufficientem nisi ipsam voluntatis essentiam; quæ, cum spiritualis sit, nullius boni finiti et cum hominis felicitate non copulati necessario amore teneri potest.

268.—Obj. IV. Voluntas determinatur a iudicio practico rationis; quo hæc facultas, omnibus pensatis, dicit voluntati: *Hoc faciendum est, vel: Fac hoc*. Sed

judicium hoc aufert libertatem. Ergo voluntas in operando libertate indifferentiæ non gaudet.

Resp.—1.º *Neg. maj.*—Voluntas enim ad agendum non indiget judicio pratico *determinante*, quo ei annuntietur necessitas faciendi aliquid hic et nunc; sed sufficit ei judicium *indifferens*, quo ei per rationem dicatur objectum electioni subiectum habere in se motiva sufficientia, propter quæ ex una partem eligi potest, atque ex altera rejici. Hoc enim posito, jam voluntas ratione suæ perfectionis intrinsecæ atque indifferentiæ activæ potest in unum ex extremis se libere determinare, ut sapienter docet Suarez contra quosdam qui necessitatem hujus judicii practici ad omnes actus liberos nostræ voluntatis propugnant (1).

Resp.—2.º *Dist. min.*—Judicium practicum *voluntatem determinans et minime liberum, quale a quibusdam Doctoribus catholicis statuitur*, aufert libertatem, Conc.: judicium practicum *non determinans, aut determinans quidem, sed liberum voluntati*, aufert libertatem, *Neg.* Judicium practicum determinans voluntatem et non libere imperatum ab ipsa aufert manifeste libertatem: quia actus ad quem voluntatem determinat, nec in se liber est, utpote a voluntate antecederet ad unum determinata factus; nec est liber in sua causa, quoniam judicium practicum, ex quo necessario resultat in voluntate, supponitur non esse liberum ipsi voluntati. Si autem non sit determinans, aut determinans quidem, sed ex libero voluntatis exercitio proveniens, libertatem minime destruit; quoniam actus ad quem movet, aut in se ipso aut saltem in alio actu voluntatis judicium practicum præcedente liber manet. Atque hoc modo intellecto judicio practico, nulla prorsus difficultas est in eo admittendo: imo dubitari nequit quin aliquando saltem ab eo voluntas ad agendum moveatur (2).

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 19. sect. 6.

(2) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 19, sect. 6, n. 8.; item D. Thom. 1. 2. q. 17, art. 5.

PROPOSITIO QUINTA.

Hominis voluntas libertate caret contrarietatis, non vero contradictionis, in ordine ad ejus ultimum finem abstracte atque in confuso perceptum.

269.—*Prob. 1.^a p.*—1.^o Ultimus hominis finis abstracte atque in confuso perceptus est ejus felicitas. Atqui felicitatem omnes ea necessitate prosequimur, ut nunquam actu contrario eam odisse valeamus: felicitas enim abstracte concepta purum bonum exhibet, nulloque malo aut limitatione affecta apparet, propter quæ repudiari a nobis queat. Ergo... 2.^o Circa omnia, quæ rejici a nobis valent, deliberationem instituere possumus. Sed de felicitate amplectenda vel rejicienda nulla nobis deliberatio possibilis est. Ergo... 3.^o Denique sic se habet voluntas ad felicitatem abstracte sumptam, sicut intellectus ad prima principia: nam sicut primum movens immobile unde incipiunt motus discursivi intellectus, sunt prima principia; ita primum movens immobile unde originem habent omnes volitiones particularium finium est amor felicitatis seu ultimi finis (1). Sed primis principiis ita adhæret intellectus, ut illa rejicere nequeat. Ergo eodem modo amat voluntas felicitatem abstracte sumptam.

270.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Voluntas potest imperare intellectui ut non cogitet de felicitate abstracte sumpta sed de aliquibus objectis particularibus. Atqui hoc modo *indirecte* facere quit ut non oriatur in ea amor spontaneus felicitatis; cum voluntas actum positivum et formalem amoris non eliciat nisi circa objectum ab intellectu propositum. Ergo libertate gaudet ponendi vel non ponendi actualem amorem felicitatis. 2.^o Non solum indirecte modo explicato, sed etiam directe

(1) Cfr. S. Thom., *Summ. Theol.*, 1. p. q. 82, art. 1.

potest abstinere ab eliciendo amore felicitatis per intellectum repræsentatæ. Nam actus amandi hic et nunc felicitatem non sese nobis exhibet tamquam essentialiter connexu cum consequutione felicitatis: ac proinde voluntas potest ejus omissionem velle hic et nunc, quin ideo felicitati valedicat (1). Ergo...

ARTICULUS VII.

De potentiis animæ motricibus.

271.—Potentia motrix dicitur *ea animæ vis, qua motus locales in homine producuntur*. Existere hujusmodi potentiam in nobis est res per se manifesta; siquidem activitate nostra interna varios motus locales edimus, ut cuique experientia aparte testatur. Potentiæ animæ locomotrices in *naturales* et *animales* dividuntur: quarum primis motus edimus naturales et absque ulla prævia cognitione elicitos, quales sunt *motus cordis, pulmonum*, etc.; secundis vero produci-mus motus spontaneos per aliquam cognitionem regulatos, ut cum manus, pedes, caput, aut aliam corporis partem ex uno loco voluntarie in alium transferimus.

Porro circa has animæ potentias sequentes propositiones breviter probandas assumimus, quibus earum natura et operandi modus omnibus patebunt.

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 19, sect. 8, n. 14.; item S. Thom. 1. 2. q. 10, a. 2.

PROPOSITIO PRIMA.

Potentiaæ animæ motrices tum naturales tum animales ab appetitu sensitivo realiter distinguuntur.

272.—*Prænot.*—Circa primam hujus theseos partem omnes auctores conveniunt. Secundam vero quidam negant, dicentes principalem causam motuum animalium, qui etiam *progressivi* dici solent, esse appetitum sensitivum, vim autem existentem in membris non esse nisi instrumentalem et exsecutricem.

273.—*Prob. 1.^a p.*—Potentiaæ motrices naturales operantur ad modum naturæ et sine ulla prævia cognitione eas immediate dirigente, ut experientia patet. Atqui contrarium accidit potentiis appetitivis. Ergo realiter ab illis distinguuntur.

274.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Appetitus non modo motus membrorum, sed etiam actus sensuum et ipsius intelligentiæ imperat: nam sicut per motum localem exsequimur nostrum appetitum, ita etiam per visum aut intellectum exsequimur quidquid appetimus. Sed potentiaæ elicitive sensationum et intellectionum realiter distinguuntur ab appetitu, ad cujus imperium in actus suos exeunt. Ergo idem dicendum est de potentia motrice; nam eadem est ratio pro omnibus, inter potentiam scilicet imperantem et obedientem realem debere esse distinctionem. 2.^o Appetitus non habet pro termino immediato suæ actionis nisi affectum illum, quo affective unitur objecto amato. Nam, ut optime ait S. Thomas, «sicut ex hoc quod aliquis rem aliquam intelligit, provenit quædam intellectualis conceptio rei intellectæ in intelligente, quæ dicitur *verbum*; ita ex hoc quod aliquis rem aliquam amat, provenit quædam impressio, ut ita loquar, rei amatæ in affectu amantis, secundum quam amatum dicitur esse in amante sicut et intellectum in intelligente (1)». Atqui affectus hic

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 37, art. 1.

realiter distinguitur a motu progressivo membrorum, nam sæpe, ipso etiam existente in appetitu, membra non moventur, quia vis eorum motiva invenitur ligata et exsequi nequit appetitus imperium. Ergo vis seu potentia immediate producens motus progressivos est realiter distincta a vi appetitiva.

Solvuntur difficultates.

275.—Obj. I. Potentia motiva, prout ab appetitu realiter distincta, non est nisi quædam dispositio membrorum passiva, qua apta redduntur ad recipiendum appetitus impulsus: secus enim appetitus non magis esset principium motus progressivi quam visionis aut intellectionis; quod nullo modo admitti debet. Ergo....

Resp.—*Neg. ant.*—Ad prob. *neg. maj.* Nam, ut optime ait Suarezius, circa potentias cognoscentes «non se gerit appetitus ut motor tantum, sed ut mobile etiam ab illis, ideoque illarum actio non adeo tribuitur appetitui: at potentia motiva tantum se habet ut mota et subordinata appetitui; quem necessario supponit, si ordinate ac recte exire debeat in actum. Unde communiter appetitus ponitur tamquam principale principium localis motus (1)».

276.—Obj. II. Sanctus Thomas docet quidem appetitus esse imperare motum localem, atque ad potentiam motivam pertinere illum exsequi. Sed addit per hanc potentiam membra reddi habilia ad obediendum appetitui, actumque ejus esse, *non movere, sed moveri* (2). Per hæc autem significare videtur vim proprie effectricem motus progressivi in appetitu existere, potentiam vero motivam nihil nisi instrumentaliter producere. Ergo saltem Sanctus Thomas adversatur doctrinæ a nobis propugnatae.

Res.g.—*Conc. maj. et neg. min.*—Sanctus Thomas loco supra citato hoc vult significare, potentiam motivam tantum se habere ut motam et subordinatam appetitui, licet veram et realem activitatem in se contineat ab appetitus activitate distinctam.

(1) Suarez, *de anima*, lib. 5 cap. ult. n. 9.

(2) S. Thom., *Summ. Theol.* 1. p. q. 75, art. 3, ad 3.^{um}

PROPOSITIO SECUNDA.

Potentia motrices, tam naturales quam animales, in iis corporis partibus sedem suam collocatam habent, in quibus actus suos exercent.

277. — *Prob. 1.^a p.*—Nulla ex potentiis motricibus naturalibus indiget motione cerebri, ut in actus suos exeat; sed illos per se elicere potest ab agentibus naturalibus convenienter excitata. Ergo nulla postulat esse præcise in cerebro, ni forte cerebrum ipsum locâliter movere debeat; sed ibi potius reponi debet, ubi actus ejus fiunt, in corde scilicet, pulmonibus, etc. Ut tamen sint expeditæ, cum centro systematematicis ganglionarii communicare debent: ex illo enim originem ducit tota vita vegetativa in animalibus.

278. — *Prob. 2.^a p.*—Potentiæ motrices animales ab appetitu quidem in cerebro sedem suam habente moventur; sed tamen vim suam intrinsecam et peculiarem habent, qua in diversis corporis partibus operari queant. Ergo, non minus quam sensus externi, in his corporis partibus existere dicendæ sunt. Ut autem expeditæ sint et ab appetitu moveri valeant, liberam communicationem cum cerebro habeant necesse est: in cerebro namque habetur prima radix vitæ sensitivæ et motus omnis progressivi, qui ab animalibus efficitur.

PROPOSITIO TERTIA.

Appetitus sensitivus vi quidem sufficiente instruitur ad movendam potentiam motricem; illam tamen de facto movere nequit contradicente voluntate.

279. — *Prob. 1.^a p.*—Appetitus sensitivus in brutis movet potentiam motricem. Sed in homine non minorem perfectionem habet. Ergo etiam in eo habet ex se vim sufficientem ad illam movendam.

280. — *Prob. 2.^a p.*—1.^o Id constat quotidiana experientia. 2.^o Hoc etiam a priori deducitur. Voluntas enim, utpote re-

spiciens finem hominis universalem, vim habere debet applicandi ceteras potentias ad suos fines particulares (1), et consequenter etiam impediendi ne appetitus sensitivus potentiam motricem ad actum reducat contra suam expressam ac positivam voluntatem. Ergo... Nec vero contra hoc pugnant quidam motus involuntarii, qui *reflexi* a Physiologis dicuntur, ut *sternutamentum*, *nausea* et alia hujusmodi. Nam hi motus *naturales* sunt et ab appetitu non imperantur.

PROPOSITIO QUARTA.

Voluntas potest ex se movere absque appetitu sensitivo potentiam motricem, etiam renuente ipso appetitu.

281.—*Prob. 1.^a p.*—1.^o Nulla apparet ratio cur hæc vis negari debeat voluntati, cum ea sit principium omnis motus. Ergo ei tribuenda est. 2.^o Voluntas dominium despoticum in potentiam motricem exercet. Atqui si eam non nisi per appetitum sensitivum movere posset, hoc imperio erga illam careret; cum sæpe appetitus ei contradicat. Ergo... Notandum tamen ordinarie saltem non nisi per appetitum eam movere. Nam, ut optime ait Suarez, id postulat recta dispositio, ut superiora regant inferiora per media, si tamen media ipsa non repugnent (2).

282.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Voluntas habet dominium despoticum erga potentiam motricem. Ergo debet posse eam movere, etiam renuente et contradicente appetitu. 2.^o Aliquando potentia hæc propter imperium voluntatis motus suos operatur contra desiderium appetitus sensitivi; ut cum quis, loco fugiendi hostem propter appetitum fugæ, illum aggreditur ob firmum imperium voluntatis. Ergo...

(1) Cfr. S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 82, art. 4.

(2) Suarez, *de anima* lib. 5, cap. ult. n. 15.



CAPÍTULO IV.

De animæ humanæ simplicitate, spiritualitate atque immortalitate.

Has tres animæ humanæ proprietates in unum caput conjungimus; tum ob intimam earum connexionem, tum etiam quia eisdem argumentis demonstrantur. De illis tamen totidem articulis claritatis gratia separatim agemus: quibus per modum quasi appendicis quantum addemus de statu animæ post præsentem vitam.

ARTICULUS PRIMUS.

De animæ humanæ simplicitate.

283.—Simplex dicitur *quod partibus caret*: cum autem plura sint partium genera, plures quoque simplicitatis species existant necesse est. In genere tamen dicere possumus simplicitatem in *absolutam* et *relativam* dispesci: quarum prima removel ab ente simplici omne prorsus compositionis genus, secunda vero unum vel plura tantum.

284.—Animam humanam non esse absolute simplicem manifeste patet: componitur enim, ut ex dictis constat, ex essentia et existentia, ex substantia et potentiis operativis, ex subjecto denique et accidentibus. Solummodo ergo inquirendum restat utrum gaudeat simplicitate substantiali et integrali; ita ut nec ex diversis elementis constitutivis nec ex diversis partibus integralibus seu quantitativis coalescat. Solutionem hujus quaestionis dabit sequens

PROPOSITIO.

Anima humana tum substantiali tum etiam integrali simplicitate gaudet.

285.—*Prænot.*—Simplicitatem animæ humanæ tum substantialem tum integram impetunt quotquot tam inter antiquos quam inter recentiores extiterunt Materialistæ, eamque naturaliter mortalem ac corruptibilem putavere. His accensendus est Tertullianus; qui, quamvis immortalem eam dixit, tamen corpoream cogitavit, opinionem suam fundans in quibusdam levissimis argumentis, ad quæ Materialistæ omnes recurrunt.

286.—*Prob. 1.^a p.*—1.^o Si anima pluribus elementis constitutivis constaret, aut unumquodque illorum esset *primum* principium nostrarum cogitationum, aut *unum ex illis* tantum. Si *primum*; tot in nobis existent animæ cogitantes, quod forent principia animam constitentia, quoniam anima definitur *primum principium nostrarum cogitationum*: hoc autem est contra apertum testimonium conscientiæ, dicentis eundem prorsus in nobis esse qui sentit, intelligit, ratiocinatur, præterita recordatur, et has omnes operationes in nobis fieri cognoscit. Si *secundum*; illud tantum principium, ex quo primo cogitationes nostræ omnes exoriuntur, erit proprie anima humana, atque idcirco hæc simplicitate substantiali gaudebit. Ergo... 2.^o Si anima humana diversis elementis constitutivis composita sit, hæc elementa invicem conjuncta erunt ad modum materiæ et formæ: secus enim non poterit ex eis resultare unum substantiale et per se, sed tantum accidentale et per accidens. Atqui anima humana non constat ex materia et forma: tum quia est forma corporis, quod autem est compositum ex materia et forma nequit esse forma corporis ullius: tum quia objecta universalis et spiritualis naturaliter cognoscit, ac proinde spiritualis in se ac materia destituta esse debet: tum quia secus ipsa in se sola jam esset verum corpus, quod mini-

me admitti potest: tum denique quia omne compositum ex materia et forma quantitatem extensivam habet, animam autem hac quantitate carere mox in secunda hujus thesios parte demonstrabitur. Ergo...

287.—*Prob 2.^a p.*—1.^o Si anima humana diversis partibus quantitativis constaret; non posset ad invicem comparare: a) diversas sensationes; cum unaquæque ex illis in distincta totius extensi parte sedem haberet: b) sensationes præsentis et præteritis; cum in eodem subjecto simul non existerent: c) sensationes et intellectiones aut etiam has et appetitiones; nam hi omnes actus in diversis totius compositi extensi partibus existerent, ac proinde in nullo subjecto communi reciperentur, quod tamen requiritur ad comparationem faciendam. Atqui homo ratione suæ virtutis intellectivæ has omnes res ad invicem comparat, ut cuiusvis propria experientia testatur. Ergo... 2.^o Anima nostra reflexione tota in se redit, ita ut totum subjectum cogitans se totum in reflexione psychologica pro objecto assumat: intellectu enim intelligimus, non solum objecta externa, sed etiam nos ea intelligere, ut cuique testis propria experientia est. Atqui si partibus quantitativis constaret, hæc reflexio ei prorsus impossibilis foret: tum quia una quidem pars plicari supra aliam posset, minime autem supra se ipsam: tum etiam quia actus potentiæ cujusvis organicæ et partibus quantitativis constantis extra objectum illius vagantur, ac proinde reflexione totali et completa cognosci ab ea nequeunt. Ergo... 3.^o Nulla facultas animæ potest esse perfectior anima ipsa, cum omnes ex ea tamquam ex proprio fonte deriventur. Sed facultates intellectivæ animæ nostræ immateriales sunt ac proinde partibus quantitativis carent, ut supra ostensum est (121). Ergo et ipsa anima substantia immaterialis est.

Solvuntur difficultates.

288.—Obj. I. Si anima humana foret simplex, motibus contrariis simul moveretur; esset enim tota simul in singulis corporis partibus, quæ sæpe contrariis motibus subjiciuntur. Atqui repugnat ut aliquid moveatur simul motibus contrariis. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Motibus contrariis simul moveretur *per accidens ratione corporis, cui unitur*, Conc.: *per se et ratione sui ipsius*, Neg. *Et contrad. min. nego conseq.*

289.—Obj. II. Anima cognoscendo corpora fit eis similis, omnis enim cognitio fit per aliquam similitudinem. Atqui corpus nequit assimilari rei incorporeæ. Ergo anima est quædam res corporea ac proinde substantialiter composita.

Resp.—*Dist. maj.*—Anima cognoscendo corpora fit eis similis *metaphorice et intentionaliter*, Conc.: *proprie ac physice*, Neg. Cognitio, ut sæpe dictum est, non est nisi quædam similitudo metaphorica et intentionalis objecti cogniti: unde Deus ipse corpora cognoscit, quin sit corporeus.

290.—Obj. III. Quod tangit corpus, debet esse etiam corpus. Atqui anima tangit corpus, quoniam illud movet sua intrinseca virtute. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Quod tangit corpus *contactu quantitatis*, debet esse corpus, Conc.: quod tangit corpus *contactu virtutis tantum*, debet esse corpus, Neg. *Et contrad. min. nego conseq.* «Duplex est contactus, ait optime S. Thomas (1), *quantitatis et virtutis*. Primo modo corpus non tangitur nisi a corpore. Secundo modo corpus potest tangi a re incorporea, quæ movet corpus.»

291.—Obj. IV. In quocumqueveniuntur proprietates materiæ, ibi est materia. Sed in anima hu-

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 75, art. 1, ad 3.^{um}

mana inveniuntur proprietates materiæ, quæ sunt subjici et transmutari; subjicitur enim scientiæ et virtuti ac transmutatur ex ignorantia ad scientiam, etc. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—In quocumque inveniuntur proprietates *specificæ* materiæ, ibi est materia, Conc.: *proprietates genericæ*, Neg. *Et contrad. min. neg. conseq.* Subjici et transmutari genericæ quidem commune est animæ et materiæ, quoniam utraque transit de potentia in actum: sed specificæ hæ duæ res sunt valde diversæ respectu animæ et materiæ. Nam anima subjicitur formis immaterialibus et inextensis, quales sunt omnes actus intellectuales; materia vero formis corporeis et extensis.

292.—Obj. V. Anima movetur a corporibus, quoniam corpora actione sua physica eam ad ipsorum cognitionem determinant. Sed corpora movere nequeunt nisi corpus. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Anima movetur a corporibus *ratione corporis, cui substantialiter adhæret*, Conc.: *ratione sui ipsius*, Neg. *Et contrad. min. neg. conseq.* Ut corpora agant in animam, sufficit ut corpori substantialiter uniat, quin ipsa sit in se corporea: quia agendo in compositum substantiale ipsam aliquo modo attingent. Ita etiam corpora ex uno loco in alium movent animam, agendo in corpus per eam informatum.

293. Obj. VI. Inter materiam et formam debet dari proportio. Atqui materia informata per animam constat partibus quantitativis. Ergo et anima illis constare debet.

Resp.—*Dist. maj.*—Inter materiam et formam debet dari proportio *habitudinis*, Conc.: *entitatis*, Neg. *Et concessa minore, nego consequentiam sub distinctione data.* Ut anima humana et corpus substantialiter uniri queant, debent habere intrinsecam habitudinem ad hanc unionem: sed ratio entitatis in illis diversa sit oportet, cum materia et forma sint res per se diversæ.

294.—Obj. VII. Ex supra demonstratis tam potentiæ sensitivæ quam illarum actiones sunt materiales et organicæ. Atqui hoc supponit animam humanam quoque esse materialem et organicam, quia secus non posset esse illarum potentiæ subjectum. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.* Ad prob *nego suppositum*. Subjectum namque potentiæ sensitivarum in homine non est anima sola sed compositum ex anima et corpore, ut ex superius probatis constat.

295.—Obj. VIII. Anima humana per totum corpus diffunditur. Ergo est extensa.

Resp.—*Dist. ant.*—Anima humana per totum corpus diffunditur *definitive, ita ut sit tota in singulis corporis partibus*, *Conc.: quantitative, ita ut una pars ejus sit in una parte corporis et alia in altera*, *Neg.* Hinc *distinguo consequens: Ergo est extensa virtualiter, Conc. formaliter, Neg.* Est virtualiter extensa, quatenus substantia sua replet totum spatium a corpore suo occupatum, tamquam si quantitatem haberet: sed caret formali extensione, quia non habet partes extra partes ut res extensæ.

296.—Obj. IX. Unitas indivisibilis subjecti cogitantis, in qua magna ex parte fundantur argumenta pro simplicitate animæ nostræ adduci solita, purum figmentum est. Nam: *a*) quædam mulier hysterica accessu morbi vividius res omnes percipiebat et fortiore intelligentia pollebat; et tamen in illo statu lucido se aliam esse a se ipsa putabat, prout in statu ordinario considerata: unde a statu illo lucido regredi ad ordinarium penitus exhorrebat: *b*) alia etiam hysterica, irruente morbo, perfectius omnia faciebat; recordabatur omnia quæ in statu sanitatis cogitare et facere solebat; et e contra, recedente morbo, nihil prorsus eorum, quæ in statu morbi cogitaverat aut fecerat, conscientiam habebat; ut duo in ea subjecta cogitantia esse diceret: *c*) denique processu temporis et

actionum varietate ita mutari queunt hominum characteres physici, intellectuales ac morales, ut certe in alios homines conversi dici debeant. Ergo... (Ita materialista Ferrière in suo opere «L' âme est la fonction du cerveau», vol. I, chap. VI).

Resp.—*Neg. anl.*—Nam conscientia nobis apertissime testatur, in continuo fluxu et refluxu cogitationum idem subjectum cogitans in nobis perseverare; quod nomine του *ego* appellari solet, quodque solum quoad partem suam materialem processu temporis mutatur. Quod quidem testimonium pro certissimo habendum est, ni stulte ac temere velimus in scepticismum universalem incidere.

Ad rat. 1.^{am} *respondeo nullius prorsus valoris esse:* tum quia quævis hysterica in morbi accessu inter delirantes censi omnino debet; tum quia prædicta mulier in statu illo lucido quædam dicebat et faciebat, ex quibus clare constat sui compotem minime fuisse; tum denique quia se non substantialiter diversam a semetipsa cogitabat sed tantum accidentaliter et quoad qualitates novas statum illum suæ luciditatis constituentes.

Ad rat. 2.^{am} *eadem esto responsio.* Porro mulier illa hysterica tum in statu sanitatis, tum in statu ægritudinis identitatem sui subjecti cogitantis perfectissime norat. In statu vero lucido quoad aliqua sane perfectior erat; quoad alia vero multa longe imperfectior: unde cessante accessu tristitia ob suum morbum afficiebatur.

Ad rat. 3.^{am} *negatur prorsus consequentia.* Nam mutatio illa accidentia tantum subjecti cogitantis attingit, subjectum autem cogitans semper idem et sibi constans quoad suam substantiam relinquit.

ARTICULUS II.

De animæ humanæ spiritualitate.

297.—Antequam animæ humanæ spiritualitatem probeamus, notio spiritus a nobis explicanda est: dicere enim animam nostram esse spiritualem idem est atque illam *spiritum* appel-

lare. Ut vero hoc obtineamus, sufficit nobis notionem corporis exponere: ex hac enim facile ad notionem spiritus deveniemus, cum spiritus corpori e regione opponatur, ut species ei contrapposita. Porro corpus est *substantia quædam vi cognoscendi destituta, quæ ex materia constat, partes extra partes quantitativas habet et a materia in sua existentia pendet*. Hinc spiritus definiri potest: *Substantia quædam cognoscitiva, quæ nec ex materia constat, nec partes quantitativas habet, nec denique a materia in sua existentia pendet*. His positis, jam ad animæ humanæ spiritualitatem ostendendam veniamus.

PROPOSITIO.

Anima humana est substantia spiritualis, seu verus spiritus.

298.—*Demonst.*—Anima humana est substantia quædam cognoscitiva, quæ nec materia constat, nec partes quantitativas habet, nec denique a materia in sua existentia pendet. Sed omne ens hujusmodi est verus spiritus, ut ex definitione spiritus data aperte constat. Ergo..... *Prob. maj. a) Est substantia quædam*. Id supra in capite secundo abunde demonstratum manet (8). *b) Est cognoscitiva*. Est enim primum principium omnium cogitationum, quæ in homine fiunt; ut ipsa ejus definitio declarat (5). *c) Nec materia constat nec partes quantitativas habet*. Est enim tum substantialiter tum etiam quantitative simplex, ut in præcedente articulo ostensum est. *d) Denique a materia in sua existentia non pendet*. Nam operationes ejus intellectuales et volitivæ sunt intrinsece inorganicæ et immateriales, ut ex supra demonstratis constat (121); ac proinde eas anima etiam separata a corpore exercere potest. Substantia autem cognoscitiva, quæ etiam separata a corpore elicere valet suas intellectiones, a materia in existentia sua minime pendet; cum sine materia vivere queat, ut verus spiritus. Ergo...

Solvuntur difficultates.

299.—Obj. I. Anima humana in suis operationibus a corpore pendet. Nam: a) operationes sensitivas sine corpore exercere nequit, ut ex supra demonstratis constat. b) De intellectualibus vero idem asserendum est: ipse enim rationis usus ex dispositione corporis pendet, ut in pueris notum est; per alterationem corporis aut penitus amittitur, ut in insanis, vel saltem impeditur, ut in dormientibus; denique sine actibus phantasiæ, quæ facultas organica est, habetur numquam, ut supra ostensum est. Ergo...

Resp.—*Dist. ant.*—Anima in suis operationibus a corpore pendet, *sive intrinsece, sive saltem extrinsece*, Conc.: *intrinsece præcise*, subd. *in operationibus vitæ sensitivæ*, conc.: *in operationibus vitæ intellectualis*, neg. *Et sub data distinctione nego consequentiam*. Operationes vitæ intellectualis ab anima sola fiunt et in anima sola recipiuntur. Proinde unio animæ ad corpus non est absolute necessaria; sed etiam post illius destructionem poterit anima eas elicere et in se recipere, supplente Causa prima quidquid activitatis exercetur nunc in hoc statu unionis, ut anima excitetur ad eas eliciendas.—Hinc ad rationes in probatione antecedentis allatas respondeo, eas omnes probare quidem animam nostram dependere *extrinsece* a phantasia et dispositionibus corporis in hoc statu unionis quoad operationes vitæ intellectivæ, minime vero *intrinsece*: atque idcirco eas non obstare quominus anima vere spiritualis in se existat.

300.—Obj. II. Anima per actionem seminis corporalis incipit esse. Atqui, si spiritualis foret, hoc minime accideret. Nam spiritus actione divina in eum formaliter directa creatur, non autem producitur ad productionem compositi. Ergo anima humana non est verus spiritus, sed mera forma substantialis com-

positi humani, similisque animabus belluarum; quæ materiales sunt et corruptibiles, ut ex Cosmologia constat.

Resp.—*Dist. maj.*—Anima per actionem seminis corporalis incipit esse *dispositive et exigitive*, Conc.: *formaliter*, Neg. Deinde *contradist. min.*: Non inciperet *formaliter* esse per actionem seminis, si foret spiritalis, Conc.: non inciperet *dispositive et exigitive*, Neg. Denique *sub distinctione data nego conseq.* Actio seminis nihil aliud facit quam disponere materiam tali modo, ut ei secundum leges naturales debeatur informatio alicujus animæ humanæ: idcirco per eam solum *dispositive et exigitive* incipit esse anima humana. At vero hanc dispositionem et exigentiam materiæ statim sequitur actio Dei creativa directe terminata ad animam ipsam, qua hæc ex nihilo sui et subjecti educitur et materiæ unitur.—Hinc ad rationem additam *conceditur assertum et negatur consequentia*. Anima enim humana proprie creatur et unitur materiæ; non vero comproducitur ad productionem compositi, sicut formis corruptibilibus accidit.

301.—Obj. III. Si anima humana foret spiritus; nullo modo, ne *dispositive* quidem aut *exigitive*, deberet incipere ejus existentia per actionem seminis. Nam spiritus non dependet in existendo ab ulla actione corporea; forma autem incipiens existere dependenter a dispositionibus materiæ aliquo modo a materia in existendo pendet. Ergo anima humana non est spiritus.

Resp.—*Dist. ant.*—Si anima humana foret spiritus *purus*, nullo modo ne *dispositive* etc. deberet incipere ejus existentia per actionem seminis, Conc.: si sit spiritus, *non purus, sed aliquid materialitatis participans*, Neg. Anima humana est infima in genere intellectualium substantiarum, indigetque naturaliter prævia actione sensuum ad acquirendas suas ideas. Hinc cum, ut optime ait S. Thomas, inveniatur «in confinio spiritalium et corporalium crea-

turarum (1)», aliquid utriusque ordinis participat, et non est purus spiritus quemadmodum angeli. Nihil ergo mirum quod non incipiat existere nisi dependenter a dispositionibus materiæ.

302.—Obj. IV. Saltem ratione naturali non clare constat animam nostram esse aliud quam materiam certo quodam ordine ad cogitandum apto dispositam. Nam: *a*) Si Deus materiam ita conformavit, ut in plantis vegetare et in animalibus sentire queat; cur non eam tali modo conformare valeat, ut in aliquo ente intelligat? *b*) Tota nostra ratiocinatio ad negandam materiæ intellectionem in eo fundatur, quod in conceptu materiæ non inveniatur conceptus intellectionis. Hoc autem solum probat nos ignorare utrum vere ipsa in se intelligere valeat vel non. *c*) Ex eo quod non videamus quomodo materia intelligere ac ratiocinari possit, male concludimus eam in se cogitare non posse; sicut ex eo quod quis non videat quo pacto corpora sese attrahere valeant, male concluderet attractionem a corporibus non fieri. *d*) Tandem, potest Deus substantiam materialem prorsus inactivam atque spiritum omni activitate destitutum creare. Atqui huic secundo potest postea vim intellectivam tribuere. Ergo pari ratione poterit illam concedere primæ (Ita Lockius in suo opere «Essai sur l'entend. hum.», lib. 4, ch. 3, § 6). Ergo.....

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. 1.^{am} *Respondeo negando paritatem.* Nam vegetatio et sensatio circa objecta materialia et concreta versantur, intellectio vero et ratiocinatio res spirituales et a materia abstractas repræsentant; ex hoc autem sequitur vires vegetandi et sentiendi, utpote materiales, materiæ aliquo modo tribui posse; vim autem intellectivam, utpote spirituales et immaterialem, solis spiritibus convenire.

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* q. 77, art. 2.

Ad rat. 2.^{am} *Negatur prorsus assertum.* Nam non solum non invenimus in conceptu materiæ conceptum intellectio- nis, sed etiam positive videmus materiam cum vi intelligen- di naturaliter pugnare: quia materia quomodocumque disposita semper circa objecta materialia et concreta tantummodo versa- bitur, objecta autem vis intellectivæ sunt ordinis longe altio- ris et spiritualia.

Ad rat. 3.^{am} *Concedo antecedens, sed nego suppositum.* Nos enim vim intellectivam materiæ negamus, non ex eo quod non videamus quomodo intelligere valeat, sed quia positive cernimus hanc vim esse qua- cumque vi materiali superiorem ac vere spiritualem.

Ad rat. 4.^{am} *Dist. assert.* Deus potest substantiam materialem atque etiam spiritualem *viribus activis, quæ naturaliter eis debentur, destitutas* creare, Trans: potest creare substantiam materialem et spiritualem *naturaliter inactivas*, Neg. Deinde, *concessa minore, nego prorsus consequentiam.* Ut ex alibi demonstratis constat (O.443), omne ens creatum est natura sua activum et aptum ad suum proprium bonum exercitio suarum naturalium virium consequendum. Proinde nullam substantiam, sive corpoream, sive spiritualem, producere Deus potest, quæ sit naturaliter vi- ribus omnibus operativis destituta. Quod si Deus omnipotente sua virtute aliquam his viribus spoliaret; ea tamen semper ha- beret illarum et non aliarum alterius generis naturalem exi- gentiam. Unde quamvis spiritui suis viribus spoliato intelli- gentiam conferre queat, minime idem dici potest de corpore omnibus suis viribus materialibus per divinam omnipotentiam destituto.

Conferantur quæ hac super re diximus supra disserentes de spiritualitate intellectus contra Sensistas.

ARTICULUS III.

De animæ humanæ immortalitate.

303.—Immortale illud dicitur, *quod privationi vitæ minime subjicitur.* Proinde immortalitas solis viventi

bus competere potest; siquidem non viventia nec vitam habent, nec vitæ possessione privantur. Immortalitas triplicis generis est; *essentialis* scilicet, *naturalis* et *gratuita*. Prima est *talis aptitudo entis ad vivendum, ut metaphysice repugnet illud vita privari*; secunda est *talis entis aptitudo ad vivendum, ut nec ab ullo ente creato vita privari valeat, neque ab ipso ente increato juxta naturæ leges operante*: tertia denique est *ea, quæ naturæ entis immortalis non debetur, eo quod natura sua corruptibile est, sed ex mera Dei liberalitate oritur auxilio suo gratuito naturalem ejus corruptionem impediens*. Essentialis solius Dei propria est, siquidem solus Deus absoluta necessitate existit: naturalis omnibus spiritibus competit, cum nullum habeant in se corruptionis principium, et aptitudine intrinseca ad semper vivendum donentur: denique gratuita a corpore humano post resurrectionem habebitur, habitaque etiam ab Adamo fuisset, si præceptum divinum non violasset.

304.—Immortalitatem animæ humanæ negarunt inter antiquos Sadducæi et Epicurei: quos ex parte sequuti sunt Stoici finitam quandam durationem post resolutionem corporis animæ tribuentes. Inter recentiores autem negatur non solum a Materialistis sed etiam a Pantheistis; juxta quos anima nostra post præsentem hanc vitam conscientiam sui ac propriam individualitatem amittit atque in sinum Divinitatis revertitur. Ex adverso inter recentiores sunt quidam, qui animam humanam ita immortalem esse contendunt, ut ne de potentia quidem Dei absoluta perire valeat; quoniam Deus illi appetitum innatum felicitatis impressit, de cujus ratione est perpetuitas vivendi. Alii autem sæpius incarnari eam putant, donec apta sit ad vivendum hac corruptibili materia destituta. Verum has omnes sententias ut aperte falsas rejicere oportet; veraque atque ab omnibus Scholasticis admissa hæc est, animam nostram naturali quidem immortalitate gaudere, ac de facto semper esse victuram, nullo jam posthac corruptibili corpore resumpto; Deum autem de potentia absoluta in nihilum eam redigere posse. Sint ergo propositiones sequentes,

PROPOSITIO PRIMA.

Anima humana natura sua immortalis est.

305.—*Demonst.*—1.° Anima humana est verus spiritus, ut ex superius demonstratis constat. Sed omnis spiritus est natura sua immortalis: nam, cum sit simplex, per partium dissolutionem perire nequit; cum vero sine materia vivere queat, aptitudine interna gaudet ad vitam sine fine ducendam. Ergo... 2.° Anima humana per nullius agentis naturalis actionem destrui potest: agentia enim naturalia nihil aliud facere valent nisi **abrumpere unionem** substantialem, qua cum corpore copulatur ac **sine qua, utpote** spiritualis, existere potest. Aliunde vero ne a Deo quidem ipso juxta naturæ leges operante destruitur valet: siquidem Deus, hoc modo agendo, naturis singularum rerum sese accommodat; nullique suam conservationem denegat, nisi ipsa in se incapax sit amplius operandi et agentibus contrariis resistendi (1). Ergo...

Solvuntur difficultates.

306.—Obj. I. Anima humana a corpore separata ne ipsas quidem actiones intellectuales elicere potest: has enim intellectus naturaliter non exercet nisi auxilio phantasiæ, quæ post dissolutionem corporis nulla est. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. additam *Dist. assert.*: Intellectus actiones suas naturaliter non exercet nisi auxilio phantasiæ *in hoc statu unionis*, Conc.: *in statu separationis*, *Neg.* Phantasia non nisi extrinsece concurrat ad actiones intellectuales; subministrando scilicet intellectui materiam suarum cogitationum, eumque ad actionem excitando dum est in corpore inclusa. Proinde sicut egrediens ex aliqua

(1) Cfr. S. Thom., *Summ. Theol.* 1. p. q. 75, art. 6.; item Suarez, *de anima*, lib. 1, cap. 10.

domo jam non amplius indiget ad sua artefacta ministerio illius, qui ei materiam elaborandam extrinsecus afferebat; ita etiam anima humana post abruptam unionem corporis ministerio phantasie ad cogitandum non indigebit, sed ad modum spiritus puri intelliget (1).

307.—Obj. II. Anima humana separata a corpore est in statu violento: cum enim ex intrinseca sua nature constitutione sit *corporis forma et pars humani compositi*, naturale est ei uniri corpori et esse separatam a corpore est ei præter naturam. Sed *nihil violentum perpetuum*, ut ait axioma. Ergo...

Resp.—1.º *Dist. maj.*—Anima humana separata a corpore est in statu violento *secundum quid et simpliciter naturali*, Conc.: *in statu simpliciter violento*, Neg. Animæ nostræ connaturalius quidem est uniri corpori, quam esse extra corpus, propter rationem in argumento tactam. Sed simpliciter ei naturale est vivere extra corpus, quoniam ad hoc vitæ genus habet intrinsecam aptitudinem postquam a corpore separatur (2).

Resp.—2.º *Dist. min.*—Nihil violentum *ob contrarietatem* est perpetuum, Conc.: nihil violentum *ob simplicem privationem* est perpetuum, Neg. «Duplex est status violentus, scribit optime Suarez. Primus, quando solum aufertur a re, quod illi ex natura sua debetur; ut status cæcitatatis, in quo nihil ponitur contra naturam, sed aufertur quod secundum naturam debebatur, nimirum visus. Secundus status est, quando aufertur quod debitum est, et ponitur quod est contra naturam. Quando status est secundo modo violentus, non est perpetuus; quia inter contraria necessario sequitur pugna, atque status illius deturbatio. Quando vero est primo modo, perpetuus esse potest; cum a privatione ad habitum non detur naturalis regressus. Atque ita se haberet status animæ separatæ, in quo non haberet anima contrarium repugnans illi, sed careret tantum perfectione debita, quæ est informa-

(1) Cfr. idem S. Doctor, *loc. cit.* 1. p. q. 89, art. 1.

(2) Cfr. Suarez, *de anima*, lib. 6, c. 9, n. 5.

tio (1).» Imo in statu separationis non solum non habet naturaliter anima contrarium illi repugnans, sed e contra modum quemdam cognoscendi perfectiorem assequitur, et corruptibilis corporis passionibus non gravatur. Unde tantum abest ut huiusmodi status aliquem dolorem vel tristitiam in anima causet, ut e contra de illius acquisitione naturaliter gaudeat et ad corpus corruptibile reverti minime cupiat (2).

308.—Obj. III. Anima humana cum corpore nascitur, cum corpore evolvitur, et cum corpore languescit. Ergo cum corpore etiam perire debet.

Resp.—*Dist. ant.*—Cum corpore nascitur, *quatenus ad naturalem materix exigentiam certo quodam modo dispositæ a Deo creatur*; cum corpore evolvitur et cum corpore languescit, *quatenus in statu unionis aliquo modo dependet a corpore quoad ipsas operationes intellectuales*; *Conc.: quatenus est in se quid materiale conditionem ceterarum formarum substantialium in omnibus sequens*, *Neg.* Anima humana est quidem forma substantialis corporis, sed spiritualis et natura sua incorruptibilis ac proinde a ceteris formis substantialibus longe diversa. Hæc difficultas jam sæpe in præcedentibus soluta est.

PROPOSITIO SECUNDA.

Ad factum quod attinet, Deus quidem animam humanam vita sua absolute in æternum privare potest; gravissimæ autem rationes demonstrant eum hac sua potestate non usurum.

309.—*Prob. 1.^a p.*—1.^o Anima humana, non secus ac quævis alia creatura, essentialiter a Deo in sua conservatione pendet, ut ex dicendis in Theodicea constat. Sed Deus eadem libertate qua singulas res

(1) Id., *ibid.* lib. 1, cap. 12, n. 21.

(2) Cfr. Suarez, *loc. cit.* lib. 6, cap. 10.

produxit, in accepto earum esse conservat. Ergo non minus animam humanam, quam spiritus et quasvis res alias creatas, in nihilum absolute redigere valet. 2.^o Conservatio, omnium Philosophorum ac Theologorum totiusque humani generis consensu, donum Dei est a creatione distinctum (1). Atqui contrarium prorsus accideret, si Deus animam creatam anihilandi absoluta potentia careret; siquidem ex solo facto creationis jam ad perpetuam illius conservationem necessitaretur. Ergo... 3.^o Deus non minore dominio pollet erga suas creaturas, quam artifex quivis humanus erga propria artefacta; omnis enim creatura artefactum quodam est divinæ omnipotentiae. Sed artifices humani vi sui domini absoluti destruere valent sua artefacta, etiamsi hæc intrinseca aptitudine gaudeant ad diutius existendum. Ergo idem posse Deus absolute dicendus est. 4.^o In tantum careret Deus potestate prædicta, in quantum anima humana habet appetitum innatum perpetuo vivendi. Sed Deus, loquendo de potentia absoluta in dominio suo absoluto fundata, potest contra cujuslibet creaturæ appetitum innatum agere: unde vi hujus domini potest contra appetitum innatum *ignis* v. gr. operari et legem combustionis suspendere, et *omnem materiam* hujus mundi contra suum appetitum innatum perpetuo existendi in nihilum redigere. Ergo... Hinc sapientissime scribit Suarez: «Certum est angelum posse a Creatore suo privari suo esse et hac ratione non esse omnino incorruptibilem, si hæc vox omnem desitionis modum etiam anihilationem excludat; ac proinde in contrario sensu posse dici corruptibilem. Hoc de fide certum

(1) Idcirco in Concilio Generali VI, Act. 11, probata est sententia Sophronii dicentis animam humanam non esse immortalem *per naturam sed per gratiam*.

est: quia de fide est angelos a Deo pendere, non solum in fieri, sed etiam in conservari; et similiter de fide certum est Deum, sicut libere creavit angelos, ita libere etiam eos conservare, et posse Deum eos non conservare, si velit, absolute et per se loquendo. Quæ omnia generalia sunt omnibus creatis, et eandem rationem habent in angelis (1).»

310.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Licet Deus absolute et per se omnes prorsus creaturas destruere valeat; tamen nullam directe ac per se destruit, sed omnes juxta suas naturas conservat. Atqui anima humana, utpote natura sua immortalis, ex se postulat in perpetuum conservari. Ergo in perpetuum abs dubio conservabitur. 2.^o Homo rationaliter, seu juxta suam rationalem et bene ordinatam naturam operando, appetit vitam perpetuam: hujus enim naturaliter capax est, et aliunde perpetuitas vitæ est conditio necessaria ad possessionem perfectæ felicitatis, quam sponte naturæ desiderat. Atqui naturaliter impossibile est, ut Deus huic desiderio rationalis nostræ naturæ non satisfaciatur; cum nihil inane ac frustraneum in suis creaturis ponat. Ergo Deus de facto animam humanam in sua existentia sine fine conservabit. 3.^o Omnis persuasio, quæ ad exercendos actus virtuosos lege divina præceptos necessaria est, in veritate fundata sit oportet. Secus enim honestas et virtus falsitatem ac mendacium pro naturali fundamento haberent; quod minime admitti potest. Atqui ad exercendos quamplurimos actus virtuosos lege divina præceptos necessaria est existimatio alterius vitæ, in qua Deus laborem obedientiæ remuneret, voluptatemque inobedientiæ puniat. Sine hac enim persuasione impossibile est ut homines violentiam illam sibi inferant, quæ necessaria est ad observandam legem

(1) Suarez, *de angelis*, lib. 1, cap. 9, n. 5.

naturalem, omni bono sensibili posthabito: imo homines generatim in possessione horum sensibilibum bonorum felicitatem suam collocabunt, virtutemque ac vitium pro inanibus nominibus habebunt. Ergo persuasio prædicta in veritate fundatur, ac proinde anima humana corporis dissolutioni superstes erit. Si autem incipit vivere sine corpore, nulla est ratio cur hoc modo non permaneat in æternum; cum ipsa ex se immortalis sit ac vitæ perpetuæ capax. Ergo...

4.º Nihil bonitatis ac benevolentiae divinæ indignum existere in mundo naturaliter potest; cum hoc divinis attributis repugnet ac præsertim speciali illi providentiæ, quam Deus erga singulos homines gerit. Atqui si anima humana cum corpore periret, aliquid summe monstruosum bonitatisque ac benevolentiae divinæ indignum naturaliter in mundo existeret. Homines enim, sponte naturæ animi immortalitatem cogitantes, omnibus corporis voluptatibus fortiter renuntiant, ipsamque mortem subire non detrectant, ut virtutem ac bona spiritualia sectentur: idque eo alacrius exsequuntur, quo vehementius persuasio immortalitatis eorum animis inhæret. Hæc autem operandi ratio, sine reali existentia alterius vitæ, qualem homines sponte naturæ sibi persuadent, stulta prorsus foret ac plane monstruosa (1). Ergo...

5.º Denique justitia, qua Deus se gerere debet in hominum gubernatione, evidenter postulat, ut diligentes virtutis atque honestatis cultores congruis præmiis, sectatores autem vitiorum et divinæ legis contemptores convenientibus pœnis afficiantur. Atqui si animus cum corpore perireret, hoc non accideret

(1) Cfr. ea quæ circa hanc rem pulcherrime disserit P. Valentia *Comment. in 1. p. D. Thomæ*, disp. 6, q. 1, punct. 3, § III, arg. sexto.

tum quia bona et mala hujus vitæ, quæ virtutem et vitium comitantur, ab hac conveniente proportione longe deficiunt, fatentibus ipsis adversariis, qui hac de causa divinam providentiam accusant; tum etiam quia sæpe in hac vita vitiosi ex ipsis suis vitiis utilitates magnas reportant, justi vero ob ipsam eorum justitiam ingentia mala patiuntur, imo et ipsam mortem pati coguntur. Ergo, ut Dei justitia in hominum gubernatione debito modo exerceatur, anima humana per aliquod saltem tempus post mortem corporis abs dubio conservabitur. Si autem per aliquod tempus, etiam sine fine; quia aptitudinem intrinsecam habet ad perpetuo vivendum a corpore separata.

Solvuntur difficultates.

311.—*Contra I.^{am} p.*—Obj. I. Impossibile est desiderium naturæ esse inane. Atqui, si Deus absolute ac per se animam destruere posset, non esset impossibile ut desiderium naturæ foret inane; siquidem Deus absolute contra desiderium felicitatis animæ nostræ naturale agere posset. Ergo Deus ne de potentia quidem absoluta animam humanam destruere valet.

Resp.—*Dist. maj.*—*Naturaliter* impossibile est desiderium naturæ esse inane, *Conc.: essentialiter*, *Neg. Et contrad. min., neg. conseq. sub distinct. data.* Si Deus ob rationes suas altissimas voluisset naturali animæ humanæ exigentiæ non sese accommodare, eam post aliquod tempus in nihilum redigendo; nullam prorsus injuriam illi intulisset; siquidem creaturis suis nihil ex naturali justitia debet. Proinde essentialiter non est impossibile ut naturale desiderium felicitatis inane et frustraneum *de facto* remaneat in anima humana. Impossibilitas ergo prædicta est naturalis tantum, et potentiam Dei ordinariam solummodo respicit.

Inst.—1.º In prædicta hypothesi anima humana non poterit esse perfecte beata: nam semper timere poterit, ne forte Deus velit eam de medio tollere, absoluta sua potentia utendo. Sed perfecta felicitas animæ possibilis esse debet. Ergo...

Resp.—*Neg. maj.*—Adrat. addit. *dist. assert.*: Anima semper timere poterit *irrationaliter et stulte*, ne forte etc., Trans.: *rationaliter et prudenter*, Neg. Anima post separationem a corpore perfecte scit se non esse unquam destruendam. Et quidem, si de præsentē providentiā agitur, hoc singulis animabus constat per sententiā divini Judicis in judicio particulari ei annuntiatam: in ordine autem providentiæ naturalis non defuisset sane Deo conyeniens aliquod medium ad hanc certitudinem unicuique illarum ingerendam. Et vero, quamvis Deus absoluta sua potentia facere valet ut *Sol* v. gr. crastina die non oriatur, quis sanus timere poterit ne hoc forte contingat? Absurda ergo et stulta dicenda est formido, ab adversariis in favorem suæ sententiæ prolata.

Inst.—2.º Deus nullam rationem habere potest, propter quam animam humanam in nihilum redigere queat. Ergo potentia memorata est absurda ac proinde nulla.

Resp.—*Dist. ant.*—Deus nullam rationem etc., loquendo de *providentiā ordinaria et naturis rerum accommodata*, Conc.: loquendo de *providentiā extraordinaria et præter naturas rerum versante*, Neg. Profecto, si Deus mundum integrum cum omnibus ejus substantiis, tam spiritualibus, quam materialibus, aliquot tantum sæculis duraturum creare voluisset, non ei defuissent rationes ad hoc opere complendum. Quare ergo dicemus Deum nullam habere potuisse rationem, non modo ad unam, sed ad universas etiam animas humanas destruendas, si hoc ei placuisset? Non recte sentiunt de divina libertate, qui Deum necessitati absolutæ subjiunt aut non creandi mundum aut illum æternum faciendi.

Inst.—3.º Deus humanæ naturæ indidit desiderium essenziale felicitatis. Supposito autem hoc desiderio

essentiali, non potest omnino animam destruere; quia sibi ipsi contradiceret. Ergo....

Resp.—1.º *Neg. maj.*—Nullus omnino actus ex interna activitate emanans ulli creaturæ essentialis est, ut supra contra quosdam recentiores observavimus.

Resp.—2.º *Trans. maj. neg. min. cum ejus probatione.* Etiam si prædictum desiderium partem essentialis animæ humanæ constitueret, ut adversarii contendunt; Deus tamen absolute et per se illud cum reliquis partibus essentialis perimere posset: quoniam non magis obligatur ad illud in mundo conservandum quam substantiam quamlibet creatam. Porro, si quid valeret argumentum adversariorum; probaret Deum non posse non reddere perpetuo felicem quamcumque animam humanam ab illo creatam. Nam desiderium illud, quod ipsi animæ essentiali fingunt et ex cujus existentia potentiam omnem animam humanam perimendi a Deo removent, non circa vitam animæ perpetuam, sed circa perfectam felicitatem proprie ac directe versatur. Hoc autem non nisi absurdissime dici potest.

312.—*Contra 2.ºm p.*—Obj. II. *Unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio. Sicut moritur homo, sic et illa moriuntur. Similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius. Omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt et in terram pariter revertuntur. Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum?* Porro verba hæc a sæpientissimo Ecclesiaste scripta sunt (1). Ergo dicere cum illo possumus incertum prorsus esse utrum anima nostra de facto superstes erit corpori vel secus. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Unus interitus etc. id est, *consideratis tantummodo his rebus exterioribus, quæ homini cum bruto communia sunt, eadem videtur sors hominum et jumentorum, Conc.: consideratis rebus spiritalibus et moralibus, quæ hominis sunt propriæ, Neg.*

(1) Eccles. III, 18-21.

Nec alia est Ecclesiastis mens, ut ex totius libri contextu patet: unde nihil est cur ad hujus inspirati scriptoris auctoritatem Materialistæ confugiant.

313.—Obj. III. Nihil quod ad animæ conditionem post præsentem vitam spectat, ubi scilicet vivet, quas operationes exercebit, quomodo ex uno loco in alium transiet, etc., hic scimus. Ergo signum est omnia nobis simul cum corpore perire.

Resp.—*Dist. ant.*—Nihil *determinate et in specie* scimus, *Trans.*: nihil *indeterminate et in genere*, *Neg.* Omnes apprime scimus uniuscujusque animæ sortem in futura vita præsentem libertatis suæ usui quam perfectissime responsuram; siquidem hoc sapientia et justitia divinæ providentiæ aperitissime postulant. Et hoc sufficit, ut animam nostram corpori superstitem futuram intelligamus; quin alia magis particularia et determinata ad illam vitam pertinentia cognoscere necesse habeamus.

314.—Obj. IV. Si anima post dissolutionem corporis viveret; non esset cur mortem tantopere timeremus, sed omnes naturaliter deberent eam expetere. Atqui omnes e contra mortem naturaliter exhorremus et hanc vitam vivere cupimus. Ergo...

Resp.—*Neg. maj.*—Quamvis anima cum corpore non pereat, non ideo desunt nobis rationes gravissimæ ad mortem naturaliter timendam. Nam: 1.º mortem timet, non anima præcise, sed compositum naturale ex anima et corpore, cui mors malum inter omnia maximum est: 2.º status animarum non omnibus idem futurus est, sed meritis cujusque respondebit; quod quidem omnes magis vel minus anxios de futura sorte naturaliter reddit, et male moratos horrore quodam afficiat necesse est. Hinc justis et sanctis, quoniam de felicitate sua magna securi sunt, non mortem timent; sed eam citius venire exoptant, ac de ejus adventu maxime gaudent.

315.—Obj. V. Argumentum ex Dei justitia ultimo loco pro futura animæ vita desumptum nullius valoris est; siquidem justitia Dei satis adimpletur in hac vita remuneratione lætitiæ interioris et pœna remor-

sus, quæ naturaliter comitantur actiones bonas et malas ab hominibus factas. Ergo...

Resp.—*Neg. ant. cum ratione ad illud probandum allata.* Lætitia et remorsus conscientiæ *aliqualem* quidem justitiæ divinæ exsequutionem continent, inadæquatam tamen et insufficientem: tum quia usu ipso hebetantur et remissiores fiunt; tum etiam quia nullam prorsus efficaciam habent nisi *ut inchoationes quædam alterius vitæ.* Et sane, cum ab assuetis non fiat passio, ipso habitu bonæ et malæ operationis minuitur in hominibus sensus lætitia et remorsus conscientiæ. Unde quidam eo iniquitatis deveniunt, ut conscientiæ stimulos fere ex integro retundant: eoque facilius hoc assequuntur, quo firmiter sibi persuadere conantur animam simul cum corpore perire. Porro quis sanus dicat remorsus hujusmodi pœnam prorsus sufficientem esse, cum videat per eos eo minus puniri homines, quo scelestiores et pejores fiunt?

316.—Obj. VI. Saltem animæ eorum, qui peccatis onusti decedunt, aliquando perire debent: nam secus æterna infelicitate damnarentur, quod rationi consonum non videtur. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rationem additam nego prorsus rationi consonum non esse ut animæ decedentium in peccato æterna infelicitate puniantur: quod nunquam probabunt adversarii. Quamquam ad rem de qua agimus, hoc indifferens est. Si enim rationi repugnaret ut perpetua infelicitate punirentur animæ decedentium in peccato; non ideo in nihilum a Deo reducendæ essent; sed post expletam pœnam peculiaris modus vivendi a divina providentia eis assignandus esset, quoniam ipsæ de se immortales sunt et aptitudine intrinseca gaudent ad perpetuo vivendum.

PROPOSITIO TERTIA.

Anima humana post dissolutionem corporis suam individualitatem conservabit, nec unquam posthac corpus ullum corruptibile resumet.

317.—Prima pars est contra Pantheistas; secunda vero contra Pythagoricos hodiernos, qui metempsychosim antiquam e pulvere excitarunt, animas humanas damnantes ad resumenda iterum atque iterum corpora sive lapidum, sive plantarum, sive belluarum, sive hominum pro singularum conditione.

318.—*Prob. 1.^a p.*—1.^o Si anima post dissolutionem corporis sua individualitate privaretur, in sinum divinæ Essentiæ minime rediret, ut falso fingunt Pantheistæ; sed in nihilum redigeretur, quoniam substantia simplex non aliter quam per anihilationem suam individualitatem amittere valet. Ergo ut vera et non ficta sit æterna vita in præcedente thesi demonstrata, anima post dissolutionem corporis suam individualitatem retinere debet. 2.^o Omnia argumenta ex intrinseca animæ natura, ex felicitatis perfectæ desiderio naturaliter ei impresso, ac denique ex divinis attributis desumpta manifeste ostendunt animam humanam cum sua individualitate atque illius conscientia esse perpetuo conservandam. Hoc enim et non aliud probat intrinseca animæ aptitudo ad perpetuo vivendum, hoc naturale desiderium felicitatis, hoc bonitas, sapientia et justitia summi Conditoris. Ergo...

319.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Resumptio corporis corruptibilis a Pythagoricis animæ humanæ assignata cum natura hujus animæ pugnat. Hæc enim: a) utpote spiritualis, potest perpetuo vivere sine corpore; b) utpote et se ipsam, et substantias spirituales, et Deum in statu separationis ad modum spirituum cogno-

scens, ac proinde melius quam in statu unionis vivens statum illum novum post resolutionem corporis naturaliter amat et antiquo præfert; c) denique utpote passiones, molestias et pugnas corruptibilis corporis experta, eas iterum sustinere minime desiderat, sed e contra libertate spirituum propria delectatur (1). Ergo... 2.º Resumptio prædicta pugnat cum legibus naturæ physicis. Eæ namque, ut ex perenni, constante et universali experientia constat, hoc jubent, ut in dissolutione cujusque compositi unaquæque pars suis viribus relinquatur. Atqui anima humana post resolutionem corporis suis viribus relicta nunquam novum compositum efformabit: tum quia nova illa vita ei amabilior est, ut nuper dicebamus; tum quia talis compositi efformatio per solas vires suas físicas est ei naturaliter impossibilis; substantialis namque ejus unio non ex naturali ipsius activitate procedit, sed ab Auctore naturæ causatur. Ergo... 3.º Resumptio hæc pugnat cum fine, ob quem a suis fautoribus inducitur. Nam eo illam dirigunt, ut anima in resumpto corpore, vitales operationes exercendo, se perficiat et pro male actis in præcedente vita pœnas luat. Jam vero ad primum quod attinet: a) multo plus proficere anima potest in sua vita spiritali sine corpore ullo corruptibili quam cum illo; b) nihil prorsus intellectualis et moralis progressus capere potest ex assumptione corporis mineralis, vegetalis aut belluini; cum mineralia, plantæ ac belluæ organis aptis careant ad operationes animæ humanæ. Quod vero secundum spectat, resumptiones eæ a Deo adhiberentur *tamquam instrumenta quædam correctionis*; quin ullæ animæ de hac sua pœna mernerentur, et quin culpas suas corrigere valerent illæ

(1) Cfr. Suarez, *de anima* lib. 6., cap. ult.

omnes, quæ in lapidibus, plantis et belluis inclusæ continerentur: quo nihil ineptius dici potest. Ergo... 4.º Sententia horum auctorum ponit animas tamquam in ergastulo inclusas in pœnam suorum scelerum: quo fit, ut unio animæ et corporis non sit naturalis, sed violenta. Atqui unio hæc non violenta, sed plane naturalis est; ut ex horrore ipso patet, quem omnes homines erga mortem naturaliter habent. Ergo... 5.º Reincarnationes hujusmodi, quas prædicti auctores tamquam sanctionem legis naturalis assignant, ineptæ prorsus sunt ad hunc finem. Nam nec cultoribus virtutis in præmium suorum laborum dari queunt; quia eas ut magnum malum et ingens luctarum ac pœnarum seminarium optimo jure exhorrent: nec vitiorum sectatoribus in pœnam suorum scelerum decerni; quia illi eas naturaliter amant, et vellent semper hic in terris manere, ut semper cum divinæ legis contemptu suis cupiditatibus indulgere valeant. 6.º Sententia prædictorum auctorum essentialem differentiam tollit, quæ inter mineralia, plantas, belluas et homines a quovis cordato admitti debet: sic enim eadem anima in successivis suis reincarnationibus erit forma substantialis mineralium, plantarum, belluarum et hominum. Ergo... 7.º Si reincarnationes prædictæ fierent, animæ hominum illarum conscientiam haberent: incarcerationes enim novæ nequeunt remove ab anima memoriam præcedentium; cum non sint inter se contrariæ et aliunde anima sub eis ex uno in aliud corpus quasi quidam reus ex uno in alium carcerem aut quidam alumnus ex uno in aliud collegium simpliciter transferatur. Atqui contrarium prorsus accidit (1). Ergo...

(1) Cfr. S. Thom., *cont. gent.* lib. 2, cap. 83.

Solvuntur difficultates.

320.—Obj. I. Sine doctrina pythagorica explicari nequeunt pœnæ et dolores, quos homo in præsentī vita patitur. Ergo...

Resp.—*Neg. assert.*—Dolores ii consecraria quædam sunt ex ipsa hominis constitutione organica naturaliter procedentia.

321.—Obj. II. Quidam homines nascuntur quibusdam habitatibus ornatī. Atqui eæ non sunt nisi vestigia habituum in alia vita priore adquisitionum. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.*—Habilitates eæ ex peculiari corporis organizatione in unoquoque naturaliter resultant; cum anima, utpote vera corporis forma substantialis, a dispositionibus corporis maxime in agendo pendeat.

322.—Obj. III. Ni transmigrationem animarum admittamus, dicere oportebit Deum die ac nocte creandis animabus occupatum existere, et quidem sæpe ut opus perficiat inhoneste ab hominibus libidinoso inchoatum. Hoc autem indignum Deo videtur. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—*Et hoc dicendo poneremus Deum more auctoris naturæ operantem et ordinarium cursum causarum naturalium sapientissime conservantem, Conc.: induceremus Deum quasi labore continuo fatigatum aut iniquitatibus perditissimorum hominum consentientem, Neg. Deinde, contradist. min. neg. cons.* Deus nihil defatigationis aut tædii ex nunquam interrupta animarum creatione capit: nec peccatis hominum consentit, cum materiam ad recipiendam animam actione ipsorum illicita dispositam anima ab eo creata informat. Nam actio illa in se mala non est et illicitum modum illam faciendi lege sua prohibet ac severe punit. Inepte ergo recurrunt Spiritistæ ad hoc stolidum argumentum, ut pythagoricam eorum transmigrationem defendant.

ARTICULUS IV.

De statu animæ humanæ post præsentem vitam.

323.—Ostendimus in præcedente articulo animam humanam post dissolutionem corporis ab ea informati æternum sine ullo corruptibili corpore victuram. Restat nunc ut de hoc separationis statu aliquid quasi per modum appendix breviter dicamus.

PROPOSITIO PRIMA.

Anima humana in statu separationis non est persona, sed substantia quædam incompleta ad compositi humani constitutionem ex se naturaliter ordinata.

324.—*Demonst.*—Anima ex intrinseca natura sua est *pars constitutiva* compositi humani, quod est proprie persona (16). Sed hanc intrinsecam naturam suam propter separationem a corpore non amittit; quæ enim naturalia sunt, semper insunt. Ergo...

PROPOSITIO SECUNDA.

Anima in statu separationis retinet quidem potentias rationales et sui ipsius motricem; non vero ceteras, nisi radicaliter tantum.

325.—*Prob. 1.^a p.*—Potentiæ rationales, utpote spirituales et organo intrinsece non utentes, in sola anima resident et a corpore in existendo non pendent. Ergo dissolutione corporis perire nequeunt, sed in anima conservari debent.

326.—*Prob. 2.^a p.*—Anima humana, cum sit finita, est in loco et non ubique. Ergo posse ex uno loco in alium se movere dicenda est: tum quia hoc postulat natura sua socialis, quæ eam impellit ad quærendam societatem cum sui similibus; tum etiam quia secus in imperfectissimo conchyliorum gradu in ordine ad motum remaneret, quod minime admitti potest.—

Aliqui sane hanc vim sui motricem animæ humanæ negaverunt, eo quod animæ mortuorum naturaliter nequeunt ad nos venire. Sed hæc ratio nullius valoris est: nam ad nos venire naturaliter nequeunt; non quod potentia se loco movendi careant, sed quia ob suum statum puræ spiritualitatis in alio ordine sunt constitutæ et ad nos venire ordinarie non permittuntur.

327.—*Prob. 3.^a p.*—Præter potentias prædictas non habet anima in hac vita nisi sensitivas, vegetativas et potentiam movendi corpora. Atqui sensitivæ et vegetativæ, utpote organicæ, ad compositum pertinent; potentiam autem movendi corpora non nisi per membra ab ea vivificata applicare ad actus suos potest; ut constat ex iis, quæ hic in terris hominibus contingunt (1). Ergo...

PROPOSITIO TERTIA.

*In anima separata manent tum scientiæ omnes hic
adquisitæ, tum etiam earum actus.*

328.—*Prob. 1.^a p.*—Scientiæ hic in terris ab anima acquisitæ in ejus intellectu sedem habent. Ergo anima semper eas in intellectu servat: quia nec corrumpi per accidens possunt ob corruptionem intellectus, nec per se ob adventum alicujus scientiæ illis contrariæ.

329.—*Prob. 2.^a p.*—In tantum non manerent actus scientiarum prædictarum in anima separata, in quantum scientiæ eæ habent tendentiam naturalem ad operandum dependenter a phantasmatis. Sed dependentia hæc non eis convenit nisi pro statu unionis. Nam sicut intellectui tantum pro statu unionis competit dependere in cognoscendo a phantasmatis; ita etiam habitibus scientiarum acquisitarum, qui naturaliter sequi debent conditionem ipsius intellectus. Remanent ergo in anima separata actus scientiæ hic acquisitæ, *licet non secundum eundem modum*, ut recte ait S. Thomas (2).

(1) Cfr. S. Thom., *Summ. Theol.* 1. p. q. 117, art. 4.

(2) *Id. ibid.*, q. 89, art. 6.

PROPOSITIO QUARTA.

Anima in statu separationis intelligit ad modum spiritus, seu per directam conversionem ad intelligibilia ac per species tum conservatas, tum divinitus ei infusas.

330.—*Prob. 1.^a p.*—Modus operandi sequitur modum essendi. Sed anima in statu separationis existit ad modum spiritus. Ergo ad modum etiam spiritus intelligit.

331.—*Prob. 2.^a p.*—Spiritus substantias tum materiales tum spirituales intelligunt per species a Deo immissas: *materiales* quidem, quia corpora nequeunt determinare spiritum ad illorum intellectionem, ac proinde hic debet ad eam determinari ab Auctore naturæ: *spirituales* vero, quia spiritus debet *posse* in quovis temporis momento cogitare circa alios spiritus ejus consocios, hæc vero potentia non nisi per species illorum a Deo immissas explicari convenienter potest. Ergo, cum anima separata habeat modum essendi spiritus proprium, per hujusmodi species a Deo immissas, et non solum per adquisitas in præsentē vita res intelligat necesse est. Ad rem D. Thomas: «Anima separata non intelligit per species innatas, nec per species quas tunc abstrahit, nec solum per species conservatas, sed per species ex influentia divini luminis participatas, quarum anima fit particeps, sicut et aliæ substantiæ separatæ, quamvis inferiori modo (1).»

PROPOSITIO QUINTA.

Quævis anima separata non modo se ipsam sed alias etiam animas et spiritus puros intelligit; se quidem et ceteras animas perfecte, spiritus autem puros imperfecte.

332.—*Prob. 1.^a p.*—Anima separata per suum modum essendi constituitur in societate spirituum. Ergo debet cognoscere tum cæteras animas, tum etiam spiritus puros; quoniam ex his omnibus tota illa societas componitur.

(1) S. Thom., *Summ. Theol.* q. 89, art. 1, ad 3.^{um}

333.—*Prob. 2.^a p.*—Anima separata cognoscit se intuitive et immediate per suam substantiam: nam ex una parte vi illius status jam non indiget se ad phantasmata convertere, sed directe se convertit ad intelligibilia; ex altera vero ejus substantia est de se intelligibilis et sibi ipsi præsens in ratione objecti proportionati. Atqui cognitio intuitiva et immediata est perfecta. Ergo anima separata perfecte se ipsam cognoscit. Hinc, quatenus se hoc modo intelligit, non potest non Deum etiam clare cognoscere; quia substantia sua est essentialiter creatura Dei ac proinde cognitio ejus perfecta necessario ad Dei cognitionem ducit.

334.—*Prob. 3.^a p.*—Unumquodque cognoscens res alias cognoscit ad modum sui ipsius: actus enim quivis cognoscendi, utpote accidens cognoscentis, est in eo secundum modum ejus et non aliter. Sed cæteræ animæ separatæ ad eandem speciem pertinent, spiritus autem puri in aliis superioribus versantur. Ergo ceteras animas cognoscit perfecte ac plene, spiritus autem imperfecte ac deficienter (1).

PROPOSITIO SEXTA.

Anima separata omnia quidem corporea cognoscit, imperfectius tamen quam spiritus puri et sub quadam confusione.

335.—*Prob. 1.^a p.*—Anima in statu separationis conditionem puri spiritus sortitur. Sed spiritus, utpote substantiæ immateriales et rebus his sensibilibus altiores, omnia corpora cognoscunt. Ergo eadem cognitio, licet in gradu imperfectiori, animæ separatæ tribuenda est.

336.—*Prob. 2.^a p.*—Anima separata, licet ad modum spiritus puri vivens, perfectionem tamen spiritus puri non attingit. Ergo idem dicendum est de modo quo res corporeas cognoscit.

(1) Cfr. S. Thom. *loc. cit.* art. 2.

PROPOSITIO SEPTIMA.

Animæ separatæ non alia singularium materialium cognitio inest, nisi quæ ratione vitæ in corpore actæ ei debetur.

337.—*Demonst.*—1.º Species rerum materialium infusæ, quæ ratione sui status ei naturaliter competunt, nequeunt illas repræsentare nisi in genere absque earum individualitate. Virtus enim divini luminis, cujus participatio sunt species infusæ, quo ad inferiores substantias spirituales descendit, eo magis diversificatur et dibilior redditur: unde cum animæ humanæ inter omnes substantias spirituales infimum locum teneant, eis naturaliter non aliæ species rerum corporearum debentur, nisi quæ et plures sunt numero et corpora sub ratione quadam generali et confusa, seu absque illorum singularitate repræsentant. Ergo quæcumque singularia materialia hujusmodi animæ cognoscunt, hæc non ratione sui præsentis status sed præcedentis norunt (1). 2.º Animæ humanæ, cum ex intrinseca natura sit corporis forma, perfecta et completa substantiarum corporalium cognitio non debetur nisi ratione sensuum, qui directe circa corporalia versantur. Sed cognitio rei completa et perfecta illa est, quæ notas ejus, non generales modo, sed etiam singulares tepræsentat. Ergo animæ separatæ ratione sui status simpliciter non aliæ competunt ideæ corporum nisi quæ illorum naturas específicas repræsentant (2). Apposite ad rem D. Thomas: «Angeli propter efficaciam sui intellectus per hujusmodi species, non solum naturas rerum in speciali cognoscere possunt, sed etiam singularia sub speciebus contenta. Animæ vero separatæ non possunt cognoscere per hujusmodi species nisi solum singularia illa, ad quæ quodammodo determinantur, vel per præcedentem cognitionem, vel per aliquam affectionem, vel per naturalem habitudinem, vel per divinam ordinationem: quia omne, quod recipitur in aliquo, recipitur in eo per modum recipientis (3)».

(1) Cfr. S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 89, art. 1.

(2) Cfr. S. Thom. *loc. cit.* q. 84, art. 7.

(3) Id. *ibid.* q. 89, art. 4.

PROPOSITIO OCTAVA.

Anima separata ratione sui status separationis præcise perfectius quidem cognoscit res spirituales quam unita, res vero materiales imperfectius attingit.

338.—*Prob. 1.^a p.*—Animæ separatæ ratione sui status præcise competit: 1.^o intelligere se intuitive per suam substantiam, et mediante hac sui intuitione clare cognoscere suum auctorem Deum: 2.^o eadem perfectione, qua se ipsam cognoscit, cognoscere etiam ceteras animas suas consocias: 3.^o denique cognitione quidditativa, non vero abstractiva, percipere spiritus puros seu angelos. Atqui modus hic cognoscendi res spirituales longe perfectior est eo, quo illas in statu unionis apprehendit: dum enim est in corpore, res spirituales non cognoscit nisi ad modum materialium et per quasdam negationes. Ergo.....

339.—*Prob. 2.^a p.*—Animæ separatæ vi sui status præcise non competit nisi cognitio generalis rerum corporearum, seu quæ eas sub ratione cujusque individuali non attingit, ut constat ex præcedente thesi. Atqui in statu unionis earum etiam singularitatem aliquo modo cognoscit. Ergo cognitio rerum corporearum animæ debita ratione sui status separationis præcise imperfectior est altera ad statum unionis pertinente.

PROPOSITIO NONA.

Anima separata appetitu quidem naturali corpori corruptibili reuniri appetit, appetitu vero elicito hanc reunionem aversatur.

340.—*Prob. 1.^a p.*—Appetitus naturalis nihil aliud est quam intrinseca rei proportio et attemperatio ad bonum suæ naturæ consentaneum. Sed anima humana intrinsecam attemperationem habet ad unionem cum corpore, quoniam ex interna sua conditione est pars compositi humani. Ergo appetitu naturali reunionem prædictam appetit.

341.—*Prob. 2.^a p.*—Per reunionem prædictam modum illum perfecte cognoscendi se ipsam, ceteras animas, Deum et ange-

los amitteret, durisque corporis doloribus subjiceretur. Aliunde vero nullum commodum hæc mala compensans ex illa reunionem ad eam accederet: quoniam *vi status separationis* speciebus infusis ornatur. quibus naturas corporeas ab individuis præcisas ea saltem claritate intelligit, qua in statu unionis illas cognosceret; *vi autem status unionis prius habitæ* quamplurima individua corporea cognoscit, tamquam si corpori unita maneret. Ergo.....

Qui plura cupiat, consulat S. Thomam *Summ. Theol.* 1. p. q. 89, et Suarezium *de anima* lib. 6.

CAPUT V.

De essentia metaphysica animæ humanæ.

342.—Dicitur essentia metaphysica *illa entis proprietas quæ tamquam prima radix ceterarum ad ipsum spectantium nobis exhibetur, quæque primarius fons est distinctionis qua illud ens ab omni alio distinguitur.* Porro perfectionem hanc loquendo de metaphysica animæ essentia, quidam in simplicitate, alii vero in facultate cogitandi, alii in actuali cogitatione, alii denique in intrinseca activitate collocant. Verum onnes istæ sententiæ ut falsæ rejici debent; cum metaphysica animæ essentia in eo sit cum Scholasticis reponenda, quod anima sit humani corporis forma. Sint ergo propositiones sequentes.

PROPOSITIO PRIMA.

Metaphysica animæ humanæ essentia neque in simplicitate, neque in facultate cogitandi, neque in actuali cogitatione, neque in activitate ejus intrinseca reponi potest.

343.—*Prob. 1.^a p.*—Essentia animæ metaphysica statui nequit in re animæ nostræ et aliis entibus communi, siquidem eam debet ab illis distinguere. Atqui simplicitas non solum animæ nostræ sed etiam Deo et omnibus spiritibus convenit. Ergo...

344.—*Prob. 2.^a p.*—Vel nomine cogitationis intelligitur quæcumque cognitio, vel sola intellectiva, vel sola discursiva. *Si primum*; facultas cogitandi est animæ nostræ communis cum belluina, cum spiritibus et cum Deo. *Si secundum*; prædicta facultas non modo animæ nostræ, sed etiam Deo et spiritibus convenit. *Si tertium*; statuitur tamquam animæ essentia illud, quod non nisi attributum quoddam ex ea germinans est. Nam ideo per discursum res cognoscimus; quia anima nostra, utpote forma corporis, non potest nisi per conceptus inadæquatos ad perfectam rerum cognitionem venire. Ergo quomodocumque intelligatur cogitandi facultas, nequit in ea reponi metaphysica animæ humanæ essentia.

345.—*Prob. 3.^a p.*—1.^o Cogitatio actualis non est animæ nostræ essentialis, ut ex supra demonstratis constat. Ergo... 2.^o Etiam si essentialis supponatur, nequit in ea constitui essentia prædicta: tum quia in anima deberet dari aliquid altius et nobilius, propter quod talis cogitatio ei conveniret, et in hac re altiore ac nobiliore reponenda esset ejus essentia; tum etiam quia in habendo essentialiter cogitationem anima nostra cum Deo conveniret, imo et cum spiritibus puris, quibus non minus essentialis quam animæ cogitatio dici potest. Ergo...

346.—*Prob. 4.^a p.*—1.^o Interna activitas est animæ nostræ cum omnibus substantiis communis; siquidem omne ens est natura sua activum (443). Ergo., 2.^o Quod si sermo sit de activitate spirituali; hæc non animæ propria est, sed omnibus spiritibus competit. Ergo...

Solvitur quædam difficultas.

347.—Homo definitur *animal rationale*. Sed definitio essentiam entis metaphysicam exprimit. Ergo essentia animæ metaphysica in ejus rationalitate seu facultate discurrendi consistit.

Resp.—*Conc. maj. et min. neg. conseq.*—In præmissis agitur de essentia metaphysica *hominis*, non vero *animæ*: in conclusione autem sermo habetur de anima, quæ est *pars* hominis tantum; ergo non tenet conclusio. Porro essentia hominis ideo in rationalitate consistit, quia anima cum partialiter constituens substantia quædam est incompleta et ad informandam materiam naturaliter inclinata.

PROPOSITIO SECUNDA.

Essentia metaphysica animæ humanæ in spiritualitate ejus imperfecta, propter quam anima ex se ordinatur ad efformandam simul cum corpore unam substantiam completam reponenda est.

348.—*Demonst.*—Anima humana: a) ratione suæ spiritualitatis ab omni re materiali distinguitur et omnium virium rationalium ad ipsam pertinentium fons primarius existit: b) ratione suæ spiritualitatis incompletæ ab omnibus spiritibus puris secernitur; natura sua ordinatur ad efformandum simul cum corpore unam substantiam completam; habet pro objecto suo connaturali non quidem spirituale purum sed spirituale materialitate affectum; indiget auxilio sensuum ad efformandas suas ideas intellectuales; intelligit denique res per conceptus inadæquatos, unum cum altero comparando et ex uno ad alterum discurrendo. Atqui hoc modo spiritualitas prædicta est illud, quo *primo* distinguitur anima humana a rebus ceteris et ex quo *primo* manant omnes proprietates ipsius. Ergo in spiritualitate hac essentia animæ metaphysica reponi debet.

CAPUT VI.

De unionem animæ humanæ cum corpore.

349.—Quæstio de unionem animæ cum corpore gravisima est: in ea enim totius Psychologiæ, ne dicam Philosophiæ, cardo versatur. Ut ergo in re tanti momenti clare atque ordinate procedamus, in primis unionem in genere ac diversas ejus species explicabimus, deinde unionis genus animæ nostræ tribuendum declarabimus, falsisque sententiis circa naturam hujus unionis rejectis veram tuebimur, ac denique quæstiones ad unitatem animæ nostræ atque ad corporalem ejus sedem spectantes distinctis articulis agitabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

De unione in genere ac de diversis ejus classibus.

350.—Unio est *illud, quod plurium rerum complexui rationem unius cujusdam formaliter tribuit* (1). Sic *exercitum* ex. gr. dicimus *unum* ratione unionis, qua multi milites inter se copulantur et ad unum eundemque scopum diriguntur: et idem dicere est de complexu quorumcumque elementorum unam atque indivisam rem constituentium. Diximus autem unionem tribuere *formaliter* complexui rationem *unius*: nam in hoc unio ab actione agentis distinguitur, quæ unionem rebus unitis tribuit, non quidem formaliter, sed mere *active*. Hinc forma propriissima cujuscumque compositi, ut sic, est unio actualis elementorum, quibus constat: elementa autem ipsa, licet unum in compositionem veniat ut *materia* et alterum ut *forma*, strictissime loquendo non sunt nisi res quædam unionis capaces seu *extrema* ad sese uniuendum apta.

351.—Unio alia *realis*, alia *similitudinaria* est. Prima illa dicitur, *ex qua aliquod ens vere unum et simpliciter tale resultat*, qualia sunt omnia entia naturalia. Secunda vero *ea nuncupatur, ex qua ens aliquod vere multiplex et solummodo secundum quid unum exoritur*, qualia sunt omnia humana artefacta, ut *domus, mensa, scamnum*, etc.

352.—Unio *realis* in *substantialem* et *accidentalem* dividitur: *substantialis* est ea, *qua variæ substantiæ ita inter se copulantur, ut exinde substantia quædam nova vere ac per se una efformetur*: *accidentalis* e contra, *non efformat substantiam novam, sed jam existentem nova quadam proprietate accidentali instruit*.

353.—*Substantialis* iterum in *naturalem* et *hypostaticam* seu *personalem* dispescitur: quarum prima ex

(1) Circa rationes *unius simpliciter* et *unius secundum quid* confer ea quæ in *Ontologia* diximus (O. 122).

diversis naturis incompletis intime copulatis unam completam efformat, ut cum ex naturis *materiali* et *spirituali* in unum conjunctis *una natura humana* efflorescit; secunda vero ex variis naturis completis unum suppositum constituit, ut cum ex unione divinæ atque humanæ naturæ in Christo unum suppositum theandricum resultat.

354.—Unio similitudinaria in *moralem* et *localem* dividi potest. *Moralis in ordinata plurium ad eundem finem conspiratione consistit, qua sic in commune bonum plures substantiæ tendunt, ut partes cujusdam totius physici in operando imitentur*; ut cum plures milites in bonum commune *victoriæ*, aut plures musici in eundem concentum communi consensu conspirant. *Localis mera conjunctio substantiarum corporearum in eodem loco est, qua per contactum immediatum physice se tangunt in aliqua earum superficie extrema.*

His positis, veniamus jam ad unionem animæ cum corpore; quæ non similitudinaria sed realis est, nec accidentalis sed substantialis, nec denique mere personalis, sed etiam naturalis: quæ omnia sequenti articulo ostendemus.

ARTÍCULUS II.

De natura unionis, qua anima humana cum corpore suo copulatur.

355.—Quidam tum inter antiquos tum etiam inter recentiores cum Platone existimant animæ humanæ unionem cum suo corpore mere similitudinariam et moralem esse: unde animam humanam esse dicunt, non quidem corporis formam, sed *intelligentiam quamdam corpore et organis utentem*. Verum unio prædicta realis et substantialis est.

PROPOSITIO PRIMA.

Unio animæ et corporis non similitudinaria, sed realis ac substantialis est.

356.—*Demonst.*—1.º Tum anima tum corpus sunt de essentia hominis: hic enim sicut ratione *sux* animæ dicitur intellectivus et discursivus, ita etiam ratione *sui* corporis vocatur generabilis et corruptibilis. Atqui hominis essentia, quamvis ex diversis elementis coalescens: est vere una,* non minus quam essentia *equi*, aut *leonis*, aut alterius entis naturalis cujuscumque. Ergo unio, qua corpus et anima in homine copulantur, est vera ac realis, non autem similitudinaria et moralis. 2.º Si unio prædicta similitudinaria et non realis foret, nec corporis nec animæ actiones prædicari possent de homine; quia tam corpus quam anima essent quædam entia in se completa cum suis actionibus propriis ad eum modum, quo eques et equus aut nauclerus et navis duo entia in se completa sunt, licet unione quadam morali inter se copulentur. Atqui universum genus humanum instinctu naturæ ductum tam corporis quam animæ actiones de homine seu composito humano prædicat dicens: *Homo intelligit, sentit, vegetat*, etc. Ergo... 3.º Si unio hæc similitudinaria esset, anima ad intelligendum et volendum nullo corporis auxilio indigeret, nulla præterea pugna inter appetitum ejus sensitivum et rationalem dari posset; siquidem anima tunc foret substantia quædam spiritualis in se completa, omnes actus tam vitæ sensitivæ quam intellectivæ per se sola efficiens, et in se sola recipiens; sicut nauclerus non indiget navi nec eques equo ad exercendas actiones in se ipsis manentes. Atqui, teste conscientia, contrarium accidit. Ergo... 4.º Ea realiter ac substantialiter uniuntur, quorum operationes ab uno principio formali procedunt. Sed operationes animæ et corporis ab uno principio formali procedunt; nam *videre, audire, olfacere*, et aliæ actiones hujusmodi sunt tales, ut nec ab anima sola nec a corpore solo fieri queant. Ergo... 5.º Denique unio animæ cum

corpore naturalis est et unum ens per se efformat; ideo enim *homo* naturaliter appetit vivere, mortemque seu dissolutionem sui ut maximum malum exhorret. Atqui unio naturalis et ex qua unum ens per se resultat, est realis et physica non autem similitudinaria et moralis. Ergo...

PROPOSITIO SECUNDA.

Unio animæ cum corpore tum personalis tum etiam naturalis est.

357.—*Prob. 1.^a p.*—Compositum ex prædicta unione resultans est substantia quædam rationalis completa, quæ et sui juris et alteri incommunicabilis est. Sed unio ex qua tale compositum resultat, est personalis; quia hoc compositum est vera persona (O. 363). Ergo... 2.^o In tantum non foret personalis hæc unio, in quantum ratio personæ animæ soli et non composito corporis et animæ conveniret. Sed ratio personæ non animæ præcise sed composito humano convenit, ut ex supra ostensis constat (16). Ergo...

358.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Ex unione hac reali ac physica resultat quædam essentia *nova*; quæ nec anima est nec corpus, sed quid intrinsece compositum ex anima et corpore. Sed unio essentiarum realis et physica, ex qua nova quædam essentia resultat, est vere naturalis. Ergo... 2.^o Compositum per hanc unionem efformatum est principium quarundam virium, quæ ipsius tantum sunt propriæ; nam nec anima sola potest sentire nec solum corpus, sed tantum ex utroque compositum. Atqui unio realis et physica duarum naturarum, ex qua principium quoddam physicum novarum virium efflorescit, est vere naturalis; quia hoc principium est vera natura nova per eam formaliter constituta. Ergo...

Difficultates quæ contra has duas propositiones objici possent, commodius sequente articulo solventur.

ARTICULUS III.

De falsis systematibus ad unionem animæ cum corpore spectantibus.

359.—Systemata hæc quinque numerantur: systema scilicet *assistentiæ*, systema *causarum occasionalium*, systema *harmonice præstabilitæ*, systema *influxus mutui*, ac denique systema *associationis et commixtionis virium*. Primum Platoni arripit; qui in *Alcibiade* et *Phædone* docuit animam corpori assistere ut equus equo et nauta navi, illudque movendo unum quid cum eo constituere. Secundum a Malebranchio propugnatum est; qui, ut suam sententiam de causis occasionalibus sustineret, animam et corpus eatenus ad invicem copulari dixit, quatenus et corpus uniuscujusque hominis præbet Deo occasionem ad producendas in anima quasdam cognitiones et appetitiones, et anima ad producendum in corpore quosdam motus materiales. Tertium Leibnitzius excogitavit: juxta quem tam anima quam corpus talem actuum seriem sua activitate efficit, ut unusquisque contineat rationem sufficientem immediate subsequentis, eoque proinde gravidus sit: unde, cum Deus a tota æternitate videat omnes series actionum tum in corporibus tum in animabus possibles, illas animas cum illis corporibus conjungere in unum decrevit, quorum actus perfectam harmoniam inter se servarent, licet anima nihil agat in corpus nec corpus in animam. Quartum induxit Lockius: qui animam et corpus in tantum uniri dixit, in quantum ambo vinculo quodam actionis mutuæ invicem copulantur. Quintum denique Atomistarum est; qui in compenetracione utriusque substantiæ, materialis et spiritualis, atque in associatione et commixtione suarum virium prædictam unionem reponunt, dicente P. Tongiorgi: «Substantialis animæ cum corpore conjunctio constitui videtur per hoc, quod anima corpus pervadens, vim suam vi corporis propriæ associet admisceatque (1).»

(1) Tongiorgi, *Psycholg.* n. 167.

Unde et corpori et animæ suas proprias actiones assignant; ita ut corpus animæ impulsiones recipiat et *per modum puræ conditionis* ad animæ sensationes ab ipsa sola factas et in ea sola receptas concurrat.

His ita breviter explicatis, jam ad singularum sententiarum refutationem veniamus.

PROPOSITIO PRIMA.

*Anima humana non unitur corpori ut simplex
ejus motor.*

360.—*Demonst.*—1.^o Unitas motoris et mobilis non est realis et physica, sed mere similitudinaria et moralis: nemo enim dicet *equitem* ex. gr. et equum aut nautam et navim esse unum ens per se. Atqui ex unione animæ et corporis debet resultare in composito seu homine unitas quædam realis et unum ens per se (1). Ergo... 2.^o In tantum sufficeret platonica unio, in quantum homo non esset vere quid compositum ex anima et corpore, sed sola anima utens corpore: ita enim solummodo posset remanere homo unum ens per se, non obstante prædicta unione. Atqui homo non est anima sola sed quid essentialiter compositum ex anima et corpore, ut ex supra ostensis patet (8-9). 3.^o In unione motoris et moti non datur ulla actio a corpore et anima tamquam ab uno principio procedens, siquidem motor et mobile sunt duo entia completa suo proprio agendi principio instructa. Atqui ubi deest hoc principium, deest quoque natura per se una ac proinde ens proprie et simpliciter unum. Ergo...

(1) Cfr. S. Thom., *cont. gent.* lib. 2, cap. 56.

Solvitur quædam difficultas.

361.—Transmutationes corporis, quæ in cognitionibus et appetitionibus sensitivis fiunt, non procedunt ab anima tamquam habente unum esse cum corpore. Nam actiones proprie cognoscitivæ et appetitivæ ab anima sola eliciuntur et in ea sola recipiuntur: illas vero transmutationes corporis aut antecedunt et comitantur per modum conditionum quarundam, aut subsequuntur ad instar cujusdam resultantiæ. Ergo ad unionem animæ et corporis non opus est ut ulla actio ex illis tamquam ab uno principio procedat.

Resp.—*Dist. ant.*—*Transmutationes corporis in ipsis actibus sentiendi et appetendi non imbibitæ* non procedunt ab anima, *Trans: in illis imbibitæ.* Neg. Ad rat. addit. *Neg. assert.* Nam sentire non est actus animæ sed conjuncti. «Sentire, ut optime ait D. Thomas, accidit in ipso moveri a sensibilibus exterioribus: organum igitur sensus movetur et patitur in sentiendo, sed ab exteriori sensibili. Illud autem quod patitur, est sensus; quod ex hoc patet, quia carentia sensu non patiuntur a sensibilibus tali modo passionis. Sensus igitur est virtus pasiva ipsius organi (1).» Hinc sensatio intrinsece et in se ipsa quædam organi transmutatio est.

PROPOSITIO SECUNDA.

Systemata causarum occasionalium atque harmonicæ præ stabilitæ et inepta omnino sunt ad explicandam unionem animæ cum corpore et intrinseca falsitate laborant.

362.—*Prob. 1.^a p.*—In utroque systemate unio animæ et corporis est mere similitudinaria in puris rela-

(1) S. Thom. *loc. cit.*

tionibus accidentalibus tum præsentiae localis, tum conformitatis in patiendo, etc. consistens: unde anima et corpus vere, non unum, sed duo entia sunt in se completa harmonice a divino Artifice disposita, quasi duo horologia perfecte isochrona. Ergo...

363.—*Prob. 2.^a p.*—Falsitas occasionalismi jam abunde in Ontologia demonstrata est (O. 441). Determinismum autem Leibnitzii cum libertate nostra pugnare supra agendo de libertate ostendimus (267). Ergo utrumque systema intrinseca falsitate laborat.

PROPOSITIO TERTIA.

Pariter systemata influxus mutui atque associationis et admixtionis virium ut inepta ad unionem animæ cum corpore explicandam et in se falsa rejici debent.

364.—*Prob. 1.^a p.*—*a)* *Et primo quidem quoad influxum physicum.* Nam in hoc etiam systemate unitas compositi humani remanet pure similitudinaria: in eo enim tam corpus quam anima sunt quædam entia completa et in se subsistentia, quæ influxu suo mutuo sese ad agendum movent. Ergo minime efformant ens unum simpliciter; sicut, licet unum horologium ad quasdam actiones ab altero moveatur et hoc a primo ad quasdam alias, non ideo tamen ex duobus vere ac realiter unum horologium resultat. Apposite ad rem P. Tongiorgi: «Hæc mutua actio non facit ut ex duabus substantiis fiat unum operandi patiendique principium; quemadmodum ex eo quod in aliqua machina binæ partes in se invicem agant, non sequitur eas substantialiter unitas esse, unamque naturam efficere (1).»

b) *Deinde quoad systema associationis et admixtionis virium.* Nam: 1.^o Systema hoc a systemate influxus mutui in re minime distinguitur: utriusque enim systematis patroni opinantur cum Platone perceptiones omnes sensitivas a sola anima produci et in sola anima recipi, commotiones præterea organicas omnes in solo corpore et vi solius corporis fieri, aliquas deni-

(1) Tongiorgi, *Psychol.* n 178, 1.^o

que ex his commotionibus conditiones prævias esse ad sentiendum alias verò ex sensationibus in corpore resultare. Unde in utroque systemate non relinquitur actio ulla, quæ vere ac realiter a corpore et anima tamquam ab uno principio efficiente oriatur. 2.^o In systemate hoc, non secus ac in præcedentibus, corpus et anima non efformant ens ullum vere ac simpliciter unum: nam et corpus et anima supponuntur esse substantiæ quædam in se completæ, suisque viribus instructæ, quæ mutuo sese adjuvant ad effectum eundem producendum; atque idcirco non datur in illis nisi *unitas moralis tendentiæ ac finis*, qualis habetur in multis hominibus trahentibus navim; quod est argumentum D. Thomæ adversus platoniam unionem, ut supra dictum est. Ergo...

Hinc, ut optime animadvertit P. Losada (1), difficile ab errore platonico ab Ecclesia damnato se liberabunt hujusmodi systematis fautores; nam in re eorum doctrina eadem prorsus atque illa Platonis videtur. Certe, quod S. Thomas contra Platonem urgebat, nos quoque contra Atomistas urgere possumus, dicentes cum Angelico Doctore: «Multi trahentes navim unam actionem faciunt ex parte operati, quod est unum; sed tamen ex parte trahentium sunt multæ actiones, quia sunt diversi impulsus ad trahendum (2).» In systemate namque associationis et commixtionis virium corpus et anima sæpe unam actionem faciunt ex parte operati, quod unum est; sed tamen ex parte corporis et animæ sunt etiam tunc multæ actiones, quia sunt diversi impulsus ad illud unum producendum. Hæc tamen solum argumentando et citra censuram loquendo dicimus.

365.—*Prob. 2.^a p.—a*) Et primo quidem falsitas systematis influxus mutui patet. Nam corpus in animam simplicem et spirituales physice agere nequit.—Nec vero dicas posse corpora ratione suæ gravitatis resistentiam activam opponere angelo. Nam hoc falsum est: et si aliunde ejus virtus non limitetur, potest angelus sine ulla difficultate corpora quævis, quantumvis grandia, e loco suo pellere, ut sapienter docet Suarez (3).

(1) Losada, *de anima*, disp. 2, cap. 2, n. 37.

(2) S. Thomas, *contra gent.* lib. 2, cap. 57.

(3) Suarez, *Metaphys.* disp. 35, sect. 6, n. 26.

b) Deinde, ad falsitatem systematis atomici quod attinet, hæc jam abunde in Cosmologia ostensa est: aliqua tamen hic notare juvat. 1.º Atomistæ, ut suum systema defendant, notionem *suppositi* pervertunt ab omnibus Philosophis admisam. Omnium enim Philosophorum consensu, suppositum est *substantia sui juris et alteri incommunicabilis*: juxta Atomistas autem, corpora omnia simplicia et ipsum etiam corpus humanum, licet sint in se vera supposita, sunt tamen alteri substantiæ naturaliter communicabilia, dicente P. Tongiorgi «unamquamque substantiam componentem rationem suppositi amittere (1);» quasi vero eam prius habuerint aut umquam habere possint. 2.º In systemate atomico nulla ratio reddi potest cur angeli eodem modo atque anima humana corporibus naturaliter uniri nequeant. De illis enim pari jure dicere possumus hæc verba quæ de anima nostra scribit P. Tongiorgi: «Substantialis unio multo melius inter spiritum et corpus, quam inter bina corpora concipi potest. Etenim 1.º Corpora eo melius combinantur, quo magis oppositis instructa sunt proprietatibus. Cum igitur spiritus et corporis proprietates maxime oppositæ sint atque adeo contrariæ, multo magis quam quælibet corpora, spiritus et corpora ad substantialem conjunctionem aptitudinem habeant necesse est. 2.º Affinitates chemicæ unius corporis ad alterum metaphoricæ sunt et virium extrinsecarum effectus. At spiritus veram ac proprie dictam inclinationem ad corpus insitam habere et in se ipso experiri potest. 3.º Nullum corpus ad substantialem cum altero unionem tantam aptitudinem habere potest, ut multo major in spiritu non sit. Etenim, quantumvis duæ massæ in combinationibus chemicis intime jungantur, moleculæ tamen unius substantiæ moleculas alterius penetrare non possunt, sed solum atomos suas constitutivas atomis alterius interserere et gravitatis centra simul confundere, atque adeo, si placet, suas ex imponderabili materia atmosphæras simul permiscere. Ast anima proprie ac vere penetrare materiam potest, ac simplici sua substantia integrum pervadere corpus (2).» Quo posito, omnis essentialis distinctio

(1) Tongiorgi, *Psychol.* n. 163.

(2) Tongiorgi, *Psychol.* n. 164.

perit inter spiritum humanum et angelicum, quam debet quis catholicus admittere. 3.^o Denique, admissa doctrina atomica, nihil prorsus admirationis continet unio hypostatica humanæ naturæ cum Verbo divino. Verbum enim hoc, utpote spiritus purissimus, proprietates habet proprietatibus corporum maxime oppositas; ac proinde, juxta doctrinam atomicam, multo magis quam corpora et spiritus creati ad substantialem unionem aptum existat necesse est. Præterea ratione suæ immensitatis quodlibet corpus intime pervadit; quo fit ut vires suas viribus corporis associare atque miscere perfectissime queat. Hoc autem contra omnium Philosophorum et Theologorum consensum est; qui semper in sanctissimo Incarnationis mysterio rem altissimam, incomprehensibilem et omni admiratione plenam suspexerunt.

Solvuntur difficultates.

366.—Obj. I. In systemate atomico ex combinatione corporis et animæ oritur compositum naturale novis proprietatibus instructum. Sed compositum naturale novis proprietatibus instructum est quædam natura nova vere et per se una. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et dist. min.*—Compositum naturale novis proprietatibus instructum est quædam natura nova vere et per se una, *si in eo substantiæ combinatæ habent unum idemque esse unumque principium operandi*, *Conc.: si in eo unaquæque ex substantiis combinatis habet suum esse proprium et completum cum viribus illi correspondentibus: et eatenus cum altera copulatur, quatenus illi intime præsens est, ac suas vires cum viribus ejus ad operandum commiscet*, *Neg. Et sub dist. data nego conseq.* In systemate atomico tam corpus quam anima retinet suum esse cum suis viribus propriis; et commixtio virium inter hæc duo entia existens non magis eformare valet naturam aliquam novam vere et non similitudinarie unam quam inter duos homines trahentes navim aut maritum et uxorem familiam constituentes.

367.—Obj. II. In systemate atomico anima ex conjunctione cum corpore accipit proprietates novas. Nam vi hujus conjunctionis potens fit tum sentiendi

corpora, tum etiam experiendi se ipsam extensam. Ergo...

Resp.—*Dist. ant.*—Accipit proprietates novas per liberum atque expeditum usum facultatis, quam ipsa in se habet, Trans.; per acquisitionem novarum virium, Neg. Ad rat. addit. *Distinguo pariter*: Vi hujus conjunctionis potens fit tum sentiendi etc. *liberum exercitium potentiae ipsi inhærentis acquirendo*, Conc.: *veram potentiam in se recipiendo*, Neg. Influxus corporis in ordine ad sensationem non est nisi pura conditio juxta Atomistas: qua posita, anima per se sola sentit corpora externa et se experitur per totum corpus diffusam. Imo, quamvis concederent corpus active influere in sensationem, nihil proficerent: quia juxta suum principium associationis et commixtionis virium anima et corpus non producerent simul sensationem nisi ad eum modum, quo plures homines trahunt navim, exercendo scilicet suum impulsus proprium.

368.—Obj. III. Influxus corporis est quidem mera conditio ad sensationem, sed intrinseca diversaque ab ea, quam intellectui exhibet phantasia ad suos actus. Ergo vere in composito humano resultat proprietas nova, qua caret anima: ac proinde hoc compositum est vera natura nova et per se una.

Resp.—1.^o *Nego antecedens*, quod gratis et sine ullo fundamento ab adversariis adstruitur. Si enim anima se sola efficit sensationem et in se sola illam recipit, nulla est ratio ad dicendum posse quidem animam separatam naturaliter intelligere non autem sentire; cum anima æque secum ferat utramque facultatem.

Resp.—2.^o *Trans. ant. distingo primum consequens sicut in responsione ad præcedentem objectionem, et nego præterea consequentiam in secundo consequente illatam*. Quamvis enim nova quædam vis in composito humano ex associatione commixtioneque virium corporis et animæ resultaret, hoc tamen non argueret novam naturam per se

unam, sed tantum conspirationem quamdam virium diversarum in eundem effectum; ad eum modum quo vires angulares duorum motorum in eundem effectum conspirantes trahendi mobile per lineam diagonalem minime arguunt hos duos motores in unitatem naturæ veram et realem coivisse.

ARTICULUS IV.

Statuitur vera doctrina ad unionem substantialem animæ et corporis spectans.

369.—Post refutatas hac in re falsas doctrinas vera nunc statuenda ac defendenda est. Ea autem *in systemate materiæ et formæ* consistit, quod omnes Scholastici tenuerunt dicentes animam corpori uniri ut ejus formam substantialem. Porro quid sit materia et quid forma substantialis jam in Ontologia (O. 490) et Cosmologia (C. 289) sufficienter explicatum manet. Hac ergo explicatione supposita, sit sequens

PROPOSITIO.

Anima humana corpori unitur ut forma substantialis in sensu Scholasticorum intellecta.

370.—*Prænot.*—Dicimus *in sensu Scholasticorum intellecta*, ut excludamus alterum suo systemati conformem ab Atomistis inductum. Hi enim, ut atomismum suum accommodent doctrinæ Ecclesiæ, quæ tamquam catholicum dogma definivit in Concilio Viennense «substantiam animæ rationalis seu intellectivæ esse vere ac per se humani corporis formam», fatentur quidem animam veram corporis formam substantialem esse; sed interea tali modo de unione animæ cum corpore loquuntur; ut videantur hoc negare, eam in mera associatione et admixtione virium supra refutata constituendo.

371.—*Demonst.*—Juvat ipsis verbis Angelici Doctoris demonstrationem hanc conficere. «1.º Illud quo aliquid fit de potentia ente actu ens, est et forma et actus ipsius. Corpus autem per animam actu fit ens

de potentia existente: vivere enim est esse viventis; semen autem ante animationem est vivens solum in potentia, per animam autem fit vivens actu. Est igitur anima forma corporis animati. 2.º Tam esse quam operari, non est solum formæ neque solum materiæ, sed conjuncti; esse et agere duobus attribuitur, quorum unum se habet ad alterum sicut forma ad materiam: dicimus enim quod homo est sanus corpore et sanitate, et quod est sciens scientia et anima; quorum scientia est forma animæ scientis et sanitas corporis sani. Vivere autem et sentire attribuitur animæ et corpori: dicimur enim vivere et sentire anima et corpore, sed anima tamen sicut principio vitæ et sensus. Est igitur anima forma corporis. 3.º Similiter se habet tota anima sensitiva ad totum corpus sicut pars ad partem. Pars autem ita se habet ad partem, quod est forma et actus ejus; visus enim est forma et actus oculi. Ergo anima est forma et actus ejus, visus enim est forma et actus oculi. Ergo anima est forma et actus corporis (1).»

372.— Scilicet his omnibus argumentis probat S. Doctor, in unione prædicta non solum coexistentiam animæ et corporis localem cum associatione et admixtione suarum virium includi, sed adhæSIONem etiam animæ ad corpus tamquam actus ad potentiam; sicut unio accidentis et substantiæ non dicit solam coexistentiam harum rerum in eodem loco cum admixtione suarum virium conjunctam sed inhæSIONem actualem accidentis in subjectum. Per illam enim adhæSIONem ex anima et corpore fit unum simpliciter ens compositum ex actu et potentia seu ex forma et materia, naturaque corporea in homine est verum

(1) S. Thom., *cont. gent.* lib. 2, cap. 57, nn. 6-7.

comprincipium sensationum, et non mera conditio, ut contendunt Atomistæ.

373.—Et hoc est quod idem S. Doctor inferius declarat his verbis: «Ad hoc quod aliquid sit forma substantialis alterius, duo requiruntur: quorum unum est, ut forma sit principium essendi substantialiter ei, cujus est forma: principium autem dico, non effectivum, sed formale, quo aliquid est et denominatur ens: unde sequitur aliud, scilicet quod forma et materia convenient in uno esse; quod non contingit de principio effectivo cum eo, cui dat esse: et hoc esse est in quo subsistit substantia composita, quæ est una secundum esse ex materia et forma constans. Non autem impeditur substantia intellectualis per hoc quod est subsistens, ut probatum est (cap. 56)), esse formale principium essendi materiæ, quasi esse suum communicans materiæ: non est enim inconveniens quod idem sit esse in quo subsistit compositum et forma ipsa, cum compositum non sit nisi per formam nec seorsum utrumque subsistat (1)».

Confer ea quæ in Ontologia diximus de causalitate materiæ et formæ (O. 507).

Solvuntur difficultates.

374.—Obj. I. Substantia intellectualis nequit materiali ita suum esse communicare, ut ambæ habeant unum idemque esse: diversorum enim generum est diversus modus essendi et nobilioris substantiæ nobilius esse. Sed in unione prædicta anima dicitur ita suum esse materiæ communicare, ut ambæ habeant unum idemque esse. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Substantia intellectualis nequit materiali ita suum esse communicare, ut ambæ habeant unum idemque esse *eodem modo*, Conc.: *diverso modo*, Neg. *Et contrad. min. neg. cons.* Esse quod substantia intellectualis per unionem prædictam communicat materiæ, est in materia *ut in recipiente et ut in*

(1) S. Thom., *contr. gent.*, lib. 2, cap. 68.

subjecto ad aliquid se altius elevato; in substantia vero ipsa intellectuali est ut in principio illius formali et secundum propriæ naturæ congruentiam. Unde patet diversum modum essendi competere corpori et animæ, licet utrique unum idemque esse humanum conveniat.

375.—Obj. II. Si animæ et corpori inest unum idemque esse, anima erit necessario materialis: nam omne illud, cuius esse est in materia, necessario debet esse materiale. Sed anima humana est spiritualis. Ergo...

Resp.—*Neg. maj.*—Ad rat. addit. *Dist. assert.:* Omne illud, cuius esse est in materia *ita illi immersum, ut in ea solum naturaliter conservari valeat*, necessario debet esse materiale, *Conc.:* omne illud, cuius esse est in materia *quomodocumque*, *Neg.* Anima humana non est forma materiæ quæcumque, sed forma vere spiritualis; cum sit verus spiritus. Propter hanc causam, ut optime notat D. Thomas, «dicitur esse quasi quidam horizon et confinium corporum et incorporeorum, in quantum est substantia incorporea, corporis tamen forma (1)».

376.—Obj. III. Ex duabus substantiis completis suam propriam existentiam habentibus nequit fieri alia simpliciter una: actus enim cujuslibet substantiæ est id quo ab altera distinguitur. Sed corpus et anima hominis sunt duæ substantiæ completæ suam propriam existentiam habentes. Ergo ex unione corporis et animæ nequit in homine efflorescere illa unitas perfecta, quam defensores materiæ et formæ desiderant.

Resp.—*Conc. maj. et nego min. quoad utramque partem.* Nec anima nec corpus hominis sunt substantiæ in se completæ, sed tantum incompletæ et *partes* compositi physici, ad quod natura sua ordinantur. Idcirco corpori et animæ unum, idemque esse humanum inest: quod quidem ab anima corpori

(1) S, Thom. *cont. gent.* lib. 2, cap. 68.

formaliter tribuitur, cum ex ejus unione præcise contingat, ut corpus illud sit actu et formaliter humanum.

377.—Obj. IV. Forma et materia in eodem genere continentur; omne enim genus per actum et potentiam dividitur. Sed substantia spiritualis et corpus sunt diversa genera, ac proinde in eodem non continentur. Ergo uniri nequeunt ad modum materiæ et formæ.

Resp.—*Dist. maj.*—Forma et materia in eodem genere continentur *tamquam comprincipia ejusdem speciei*, Conc.: *tamquam species ejusdem generis*, Neg. Deinde *disting. min.*: Substantia spiritualis et corpus *indeterminate accepta* sunt diversa genera, Conc.: *determinate sumpta, seu prout indicant determinatas illas substantias, ex quarum conjunctione homo resultat*, Neg. Hoc secundo modo non quælibet substantiæ, veniunt in hominis constitutionem, sed illæ solæ quæ ex se sunt incompletæ et natura sua se mutuo exigunt tamquam comprincipia unius integræ naturæ specificæ.

378.—Obj. V. Illud, cujus esse est commune corpori, habet etiam operationem corpori communem: unumquodque enim operatur, secundum quod est ens, nec virtus operativa rei potest esse sublimior quam ejus essentia. Atqui si anima corpori unitur ut ejus forma, habet esse commune corpori. Ergo operatio etiam ejus erit communis corpori et virtus ejus operativa limites potentiæ organicæ non transgredietur: quod est absurdum.

Resp.—*Dist. min.*—Illud, cujus esse est corpori commune, habet etiam operationem corpori communem, *saltem aliquam*, Conc.: *omnem*, subd.: *si esse corpori commune eodem modo inveniatur in eo*, iterum conc.: *si hoc esse multo perfectius habetur in eo quam in corpore*, neg. Deinde *disting. min.*: Si anima corpori unitur ut ejus forma, habet esse commune cor-

pori modo tamen longe perfectiori quam corpus, Conc.: eodem modo, Neg. Jam in responsione ad primam difficultatem dictum est esse, quod anima corpori communicat, existere in corpore ut in recipiente et tamquam in subjecto ad aliquid se altius elevato, in anima autem ut in principio illius formali et secundum propriæ naturæ congruentiam. Proinde ex objectione facta tantum sequitur *aliquam animæ potentiam* esse in organo corporali; quod nos plane fatemur, imo et contendimus contra Cartesianos. Sed præter has potentias organicas habet anima alias spirituales, quæ clare ostendunt eam esse formis materialibus longe superiorem et naturam veri spiritus attingere.

Cfr. D. Thomas, *cont. gent.* lib. 2, capp. 56 et 69, unde has difficultates cum earum solutionibus desumpsimus.

ARTÍCULUS V.

De unitate animæ humanæ.

379.—Quoniam animam rationalem formam esse humani corporis ostendimus, inquirere nunc oportet utrum præter hanc quædam alia ab ea realiter distincta in homine agnoscenda sit; vel e contra ab ea immediate proveniat, non modo vita intellectiva, sed etiam sensitiva et vegetativa, quibus homo præditus existit. Quoniam vero in corpore humano præter formam vivificantem aliæ quoque ordinis inferioris, quæ veluti *quædam dispositiones et præparationes materiæ ad vitam accipiendam* sint, excogitari queunt ac de facto a quibusdam Philosophis admixtæ sunt, complementum tractationis postulat ut de illis etiam hoc in articulo agamus. Hinc rem totam in duos paragraphos partiemur.

§ I. UTRUM PLURES ANIMÆ REALITER DISTINCTÆ IN HOMINE ADMITTI QUEANT.

380.—Manichæi duas in homine animas posuere, unam spiritualem a Principio seu Deo bono procedentem, et alteram animalem rationali oppositam atque e Principio seu Deo malo

exortam. Has duas animas primis Ecclesiæ sæculis, teste S. Hieronymo (1), plures Doctores catholici etiam admiserunt, rejecta tamen Manichæorum doctrina de duobus Principiis; idemque tenuit hac nostra ætate Gunther, cujus doctrinam Pius IX damnavit, hæc ad Archiepiscopum Coloniensem scribens: «Nosci-mus iisdem libris lædi catholicam sententiam et doctrinam de homine, qui corpore et anima ita absolvatur, ut anima, eaque rationalis, sit vera, per se atque immediata corporis forma (2)» Denique inter recentiores Barthez, vitalismi auctor, docuit quidem animam sensitivam a rationali minime distingui, sed principium vitæ vegetativæ statuit ab intellectuali et sensitivo realiter distinctum. E contra Stahl non modo animæ intellectivæ operationes vitæ vegetativæ adjudicavit, sed eas etiam per intellectum et rationem ab ea fieri censuit. Inter has autem falsas et extreme oppositas sententias vera et media procedit, quam sequentibus thesibus defendemus.

PROPOSITIO PRIMA.

Anima rationalis, sensitiva et vegetativa sola ratione in homine differunt.

381.—*Prob. 1.^a p.*—*Ratione inter se distinguuntur.* Est evidens per se: nam hoc saltem arguere dicenda est diversitas actuum, quibus triplex hæc vita in homine manifestatur, quique diversitatem etiam realem animarum ostendunt, in homine, animalibus et plantis existentium. Ergo...

382.—*Prob. 2.^a p.*—*a)* Atque imprimis *anima intellectiva in homine non distinguitur realiter a sensitiva.* Nam, teste conscientia, tam sensationes, quam perceptiones earum et judicia circa illas versantia in eadem anima recipiuntur. Quod etiam ratione patet:

(1) S. Hieron, *epist.* 150 ad Hedib. q. 12.

(2) Pius IX, *Litteris ad Archiep. Colon.* die 15 Jun. ann. 1857 missis.

nam secus non possemus unam cum altera comparare ac de illis iudicium ferre. Atqui sensationes recipiuntur in anima sensitiva, iudicia autem in intellectiva. Ergo anima intellectiva in homine realiter a sensitiva non differt.

b) Deinde *anima intellectiva in homine non distinguitur realiter a vegetativa*. Nam: 1.° Pro reali identitate utriusque animæ pugnant fere omnia argumenta, quæ in Cosmologia in simili quæstione de belluarum animabus agentes attulimus. 2.° Vita vegetativa, sensitiva et intellectiva ita in homine ab invicem dependent, ut excessus in exercitio unius necessario secum trahat diminutionem in exercitio alterius. Nam, ut optime Suarezius observat, «ex attentione nimia ad actionem unius facultatis, v. gr. *intellectivæ*, impeditur operatio sensus, imo et ipsa nutritio; et ex operatione unius potentiæ, v. gr. operatione phantasie, movetur cor et excitantur aliæ facultates naturales (1).» Unde nimia exercitatio facultatis discursivæ impedit operationes vitæ vegetativæ et e converso. Atqui hoc aperte indicat vires omnes hominis vitales in eodem principio vitæ immediate radicari. Si enim supponamus omnes has vires ex eadem anima procedere, optime explicatur quare hoc factum contingat; quia nempe anima finitæ virtutis est, ac proinde nequit unam facultatem nimium exercere nisi cum dispendio alterius: si vero contrarium fingamus, non est cur operationes unius animæ impediunt operationes alterius. Ergo... 3.° Nulla est ratio cur vires vegetativas ex anima rationali in homine non oriri dicamus. Nam si vires sensitivæ, licet materiales, animam hanc pro principio habent, hoc idem de vegetativis asseri potest. Si autem potest, id asseri de-

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 15, sect. 10, n. 22.

bet: quia hoc exigit ratio unitatis vitæ, quæ in homine cernitur. Ergo...

Solvuntur difficultates.

383.—Obj. I. Anima intellectiva est spiritualis, maximeque distans ab imperfectione materiæ. Ergo indiget alia anima inferioris ordinis, qua tamquam intermedia illi uniatur.

Resp.—*Conc. ant. et neg. cons.* Nam, quamvis spiritualis, est tamen naturaliter forma corporis ac veluti horizon et confinium incorporeorum et corporeorum.

384.—Obj. II. Teste conscientia, caro concupiscit adversus spiritum in nobis et spiritus adversus carnem. Atqui ex eodem principio nequeunt in ullo ente oriri tendentiæ naturales contrariæ; quia non est principium belli sed ordinis et pacis. Ergo anima sensitiva in homine realiter differt ab intellectiva.

Resp.—*Dist. maj.*—Caro concupiscit *per accidens* adversus spiritum, etc. *Conc.: per se*, *Neg.* Deinde *dist. min.* Ex eodem principio nequeunt in eodem ente oriri tendentiæ oppositæ *habituales*, *Conc.: actuales*, *subd.: successivæ*, *neg.: simultaneæ*, iterum *dist.: per se*, *conc.: per accidens*, *neg.* Appetitus sensitivus *ex se* ne in ipsis quidem ejus actibus est rationali contrarius; quia ex se a natura datus est ad roborandum impetum voluntatis, quæ sine illo nimis frigide tenderet ad objecta a ratione proposita. Solum ergo per accidens aliquando ei aliquatenus opponitur, quatenus *ob circumstantias particulares accidit*, ut bonum per sensus apprehensum et appetitui sensibili desiderabile sit *hic et nunc* rationi contrarium. Unde ex lucta memorata nihil prorsus pro reali animarum humanarum distinctione inferri legitime potest.

385.—Obj. III. Operationes vitæ vegetativæ sine ulla conscientia in nobis fiunt. Atqui, si ex rationali principio procederent, illarum conscientiam haberemus. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.* Anima in ordine ad operationes vitæ vegetativæ, utpote locum in homine vitalis principii tenens quod plantis debetur, operari debet *per modum naturæ et sine ulla conscientia*. Quod quidem ex eo confirmatur, quod illæ ipsæ actiones quæ vi habitus acquisiti ab hominibus fiunt, sæpe sine conscientia fieri solent: habitus enim est *quasi secunda quedam natura*.

PROPOSITIO SECUNDA.

Anima humana operationes vitæ vegetativæ non per intellectum et rationem sed per quasdam facultates organicas exercet.

386.—*Demonst.*—1.º Operationes vitæ vegetativæ in homine ab operationibus plantarum substantialiter non differunt. Ergo principia vitalia, e quibus immediate procedunt, tam in homine quam in plantis materialia et organica esse debent. 2.º Unaquæque potentia ex objecto, circa quod formaliter versatur, speciem suam accipit. Atqui objectum, circa quod omnes vires vegetativæ in homine versantur, est pure materiale. Ergo et ipsas oportet esse materiales. 3.º Denique ipsæ potentiæ sensitivæ in homine sunt organicae et ad conjunctum animæ et corporis spectantes, ut supra ostensum est. Ergo multo magis id de vegetativis dicendum erit, quæ ad ordinem inferiorem pertinent.

§ II. AN PRÆTER ANIMAM SIT IN HOMINE ALIA FORMA SUBSTANTIALIS.

387.—Communius apud Scholasticos tenetur nullam in homine substantialem formam præter animam esse posse: quia si talis forma fingatur, jam anima subjecto per eam informato adhærens non tribueret esse *simpliciter* sed tantum esse *tale* et mere accidentale. Scotus tamen, Henricus et alii non pauci

opinantur plures formas partiales, seu unam quandam totalem ex pluribus partialibus compositam esse in eo admittendam; quæ veluti proxima materiæ dispositio ac præparatio sit ad substantialem animæ informationem. Inter hos quidam cum Scoto censent subjectum, cui anima substantialiter adhæret, esse compositum substantiale ex materia prima et forma prædicta, quæ *forma corporeitatis* vocari solet: alii vero inter quos P. Ulloa, putant tam animam quam formam memoratam immediate uni-ri materiæ primæ, unionem autem formæ corporeitatis prærequiri ad unionem animæ ad proinde esse illa priorem subsistendi consequentia.

388.—Utraque opinio, et quæ formam corporeitatis affirmat, et quæ illam negat, hisce etiam diebus suos habet patronos et sua probabilitate gaudet. Mihi autem affirmativa magis arridet tamquam commodior ad facta physica explicanda; sive anima dicatur immediate informare compositum ex materia prima et forma corporeitatis, sive materiam primam prout forma corporeitatis affectam; quod parum referre ad quæstionem existimo. Intellego autem per formam corporeitatis illam, *cujus munus est constituere materiam in esse corporis phisici organici et ad vitam recipiendam apti*. His positis, sit sequens

PROPOSITIO.

Probabilius videtur in homine præter animam esse formam corporeitatis.

389.—*Prob.*—1.º Homo intrinsece constituitur ex corpore physico organico et anima realiter distinctis. Anima enim communiter definitur: *Actus corporis phisici, organici, potentia vitam habentis*; ac proinde potentia illi proportionata et ab ea realiter distincta est corpus physicum, organicum et proxime aptum ad recipiendam vitam. Atqui corpus hoc physicum, organicum et ad vitam recipiendam aptum compositum quoddam ex materia et forma est; nam qualitates physicæ et organicæ, quibus instruitur, in aliqua forma substantiali radicatæ esse debent. Ergo...

2.º Ni forma corporeitatis ab anima realiter distincta admittatur, dicere oportet quantitatem et plures qualitates organi-

cas, non compositum humanum, sed materiam primam pro subjecto habere. Atqui hoc repugnat; tum quia, ut optime argumentatur S. Thomas (1), materia est potentia ad omnes actus, ordine quodam, ac proinde prius respicit actum substantialem quam accidentales: tum etiam quia tam quantitas, quam qualitates organicæ sunt proprietates substantiæ corporeæ; et illam jam in se constitutam supponunt, ut ex ea influxu quodam physico emanare queant. Ergo... Major facile probatur. Nam: a) Quantitas et plures qualitates organicæ, ut optime Suarezius observat, requiruntur in materia tamquam conditiones præviæ «ut possit esse subjectum aptum tum ad actionem qua anima illi unitur, tum etiam ut ipsa anima possit eam extenso quodam modo informare, cum ipsa in se maneat inextensa (2)». Ergo si pro illo priori non est illarum subjectum compositum substantiale ex materia prima et forma corporeitatis, debet tale esse sola materia prima. b) Si quantitas et omnes qualitates organicæ compositum humanum pro subjecto haberent, simul cum composito perirent; quoniam accidens nullum potest naturaliter in accepta existentia perseverare post destructionem sui subjecti. Atqui contrarium nos docet experientia: nam experimur in cadavere hominis statim post mortem ejus manere eadem accidentia corporalia, quæ erant in homine vivo, exceptis illis facultatibus quæ sunt propriæ viventium. Ergo... Neque vero dicant adversarii perire quidem illa accidentia, sed statim produci alia ejusdem speciei et solo numero distincta. Nam hoc in primis non est nisi fingere res pro lubitu ex pura necessitate systematis electi; ac præterea repugnat, quia deest causa efficiens, cui tam mirus effectus rationabiliter tribuit queat. Quod quidem optime probatur a Suarezio per hæc verba: «Non fiunt per naturalem resultantiam a forma cadaveris; quia non sunt connaturales illi, imo sunt peregrinæ et extraneæ: unde fit ut brevi tempore paulatim amittantur, ut patet de calore et similibus. Neque etiam fiunt ab extrinseco agente; quia interdum nullum est circumstans aut proximum agens, quod possit inducere tantum calorem aut tale tempe-

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* q. 76, att. 6 in θ

(2) Suarez, *Metaphys.* disp. 14, sect. 3, n. 18.

ramentum, quale manet aliquo tempore in cadavere hominis, maxime quando mors est violenta per suffocationem, jugulationem, etc... Nec denique dici potest, hujusmodi calorem et alias qualitates fieri in eo instanti a spiritibus vitalibus, qui aliquo tempore manent, aut ab humoribus, præsertim sanguine: quia imprimis etiam de sanguine et spiritibus dubium est an anima informetur, vel saltem an eorum formæ quæ sunt quasi partiales, pendeant ex conjunctione ad animam; ita ut statim pereant, illa recedente..... deinde tempus, quo durare possunt hujusmodi spiritus aut humores, est brevissimum; accidentia vero similia diutius permanent..... Præterea hæ qualitates intensibiles et remisibiles et habentes contrarium, si non manant ab intrinseca forma sed per extrinsecam alterationem fiunt, non fiunt subito et in gradu intenso sed paulatim; quia et intrinseca forma et alia corpora circumstantia resistunt: sed videmus has qualitates manere in instante mortis in magna intensione: ergo non est verisimile tunc subito per se fieri per actionem extrinseci agentis: cum ergo non fiant per intrinsecam emanationem a forma cadaveris; signum est, non tunc fieri, sed easdem numero manere (1).

3.º Rejecta forma corporeitatis, debet admitti effectus sine causa. Atqui hoc non licet. Ergo neque illud. *Prob. maj.* Rejecta forma corporeitatis, admitti debet productio formæ cadavericæ, tum in morte hominis, tum etiam in sectione alicujus membri ad corpus ejus pertinentis. Atqui nulla causa in rerum natura inveniri potest, cui hujusmodi effectus rationabiliter tribuatur: ad hanc enim formam potest ipsissimum argumentum applicari, quod ad quantitatem et qualitates cadaveris a Suarezio applicatum vidimus. Ergo... Nec vero dicat Suarezius in hominis morte «vix quidem inveniri causam particularem, quæ possit formam cadaveris inducere, recurrendum vero ad universales, quæ illam efficiant ob rationem universalem, scilicet ne materia maneat sine forma (2).» Nam in primis hoc gratis omnino asseritur et ex præjudicata opinione quod materia nequeant simul esse sub diversis formis invicemsubordi-

(1) Suarez, *loc. cit.* n. 21-22.

(2) Id. *ibid.* n. 21.

natis. Deinde causæ universales, ad quas fit recursus, hic nullæ esse possunt præter causam primam; nam illud de virtute cœlorum quod dicebatur ab antiquis, omni prorsus hodie fundamento carere cernitur. Dicere autem Deum in morte cujuslibet hominis aut in sectione alicujus humani membri producere virtute sua formam quamdam cadavericam, quæ aliquibus tantum momentis duret et statim dissolvatur, haud sane philosophicum videtur. Ergo... Porro vim hujus argumenti P. Lossada, inter Scholasticos haud ignobilis philosophus, his verbis aperte fatetur: «Et revera parum videtur credibile, quod in cadaveribus viventium et in analysi chimica tot formæ repente novæ producantur, nulla apparente causa. Certe communis hominum apprehensio esse videtur, quod ibi deficit quidem aliquid; nihil tamen novi substituitur; sed ea tantum remanent, quæ pereunti composito inerant. Ideo in uva passa, in rosa sicca, in ligno cedrino nemo concipit novam substantiam, sed amissam tantum vim vegetandi: et odor ipse roseus aut cedrinus diutissime perseverans satis alienus est a forma cadaveris (1).»

Sed jam ad adversariorum solvenda argumenta veniamus.

Solvuntur difficultates.

390.—Obj. I. Forma substantialis debet dare composito esse simpliciter. Atquæ, posita forma corporeitatis, anima non daret homini esse simpliciter, sed tantum esse accidentale. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Forma substantialis *completa et ultimata* debet dare composito esse simpliciter, Conc.; forma substantialis *dispositiva et ultimata subordinata*, Neg. Deinde *dist. min.*: Posita forma corporeitatis, anima non daret homini esse simpliciter, *si forma corporeitatis foret in se completa et alteri non subordinata*, Conc.: *secus*, Neg. Unde *sub data distinctione nego conseq.* Forma corporeitatis, utpote alteri altiori subordinata, non dat composito rationem substantiæ completæ,

(1) Losada, *Curs. philos.* 2.^a p. tract. 1, disp. 5, cap. 3. n. 13.

sed incompletæ et naturaliter ordinatæ ad unionem ejusdem substantialem cum alia forma ultimo illam complente et ad determinatam quamdam entium completorum speciem trahente. Hinc anima huic substantiæ adveniens dat ei esse, non quidem secundum quid et accidentale, sed simpliciter et substantiale: tam enim materia cum sola forma corporeitatis quam anima sunt in se substantiæ quædam incompletæ et ad unionem substantialem hominis constitutivam natura sua ordinatæ.

Inst.—1.º Anima adveniet materiæ prout jam informatæ per actum physicum substantialem. Sed materia per actum physicum substantialem informatam substantiam quamdam completam et ad certam substantiarum completarum speciem pertinentem constituit. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Anima adveniet materiæ prout jam informatæ per actum physicum substantialem *incompletum et ad alium completum natura sua ordinatum*, Conc.: *completum et ad alium ex se non ordinatum*, Neg. *Et contradict. min.. neg. conseq.* Sicut materia prima, juxta probabiliorem Suarezii sententiam, continet in se et ex se quemdam actum et tamen cum forma unum esse simpliciter constituit, quia actus ille est in se incompletus et natura sua ordinatus ad completum, quem accipit a forma; ita etiam propter eandem rationem actus in forma corporeitatis inclusus non impedit quominus actus animæ advenientis sit vere ac proprie substantialis.

Inst.—2.º Actus materiæ intrinsecus relinquit eam naturaliter incapacem existendi sine aliqua forma et sub nulla substantiarum specie constituit: e contra actus formæ corporeitatis efformat quoddam compositum naturaliter existere valens sine alio ulteriori actu substantiali, et illud constituit sub quadam substantiarum specie determinata. Ergo nulla est paritas inter actum formæ hujus et alterum materiæ primæ.

Resp.—*Concedo primam partem comparisonis et nego secundam: ac denique nego consequentiam.* Compositum per formam corporeitatis constitutum, licet naturaliter sine animæ informatione per aliquod saltem tempus existere valeat, non ideo tamen desinit esse substantia quædam incompleta natura sua ad completam ordinata eodem modo atque anima ipsa. Constituitur quidem per formam prædictam in specie quadam

substantiarum, *sed incompletarum*; sicut materia prima per actum sibi intrinsecum *in genere substantiarum incompletarum* reponi debet. Nam illud, quod de materia prima dicit Aristoteles, eam scilicet non esse *neque quid, neque quantum, neque quale*, etc., de substantiis completis intelligendum est.

391.—Obj. II. Forma substantialis est actus primarius, cujus gratia existunt in composito cæteri omnes. Atqui hoc non competit formæ corporeitatis. Ergo non est forma substantialis.

Resp.—*Dist. maj.*—Forma substantialis *ultimata et alteri naturaliter non subordinata* est actus, cujus gratia existunt in composito cæteri omnes, *Conc.* Forma substantialis *mere dispositiva et alteri altiori naturaliter subordinata*. *Neg.* Omnes perfectiones compositi humani animæ gratia existunt in hominæ; quia ea est forma hominis ultimata, eumque ad speciem humanam trahens. Formæ autem corporeitatis hoc minime competit, quia natura sua est alteri altiori subordinata.

392.—Obj. III. Forma substantialis dicitur esse fons omnium virium ad compositum pertinentium. Sed posita forma corporeitatis, anima non est fons virium molecularium, in homine existentium. Ergo forma hæc rejici debet.

Resp.—*Dist. maj.*—Forma substantialis dicitur esse fons omnium virium etc., *quatenus omnes eæ vires illius gratia sunt in composito; et quatenus etiam activitate sua in composito conservantur atque operationes suas exercent*, *Trans.:* *quatenus influxui illius physico debent primum suum initium essendi*, *Neg. Et contradist. min., neg. conseq.* Vidimus supra cum Suarezio in generatione hominis non produci de novo omnes prorsus perfectiones ad ipsum pertinentes, sed aliquas ex illis simul cum materia prima ex alio composito easdem numero ad eum transmitti. Ergo de ratione formæ substantialis completæ non est ut omnes prorsus vires compositi ex ejus activitate emanent, sed ut vita sua substantiali informentur et hoc modo vitales reddantur.

393.—Obj. IV. Hac doctrina statuta, incidimus in unionem substantialem animæ humanæ ab Atomistis proclamatam et a nobis supra refutatam. Ergo...

Resp.—*Nego prorsus assertum.*—Atomistæ nihil aliud ponunt in composito humano quam duas substantias completas

invicem compenetratas et in unum vires suas dirigentes, ex quo mera unio virtualis inter eas resultat. Nos autem corpus et animam substantias incompletas fatemur, unioneque physica invicem copulatas dicimus: quod quidem facit ut corporis vires vere ab anima, dum corpus illi unitur, in existendo et operando dependeant, tamquam si ab ea ortum suum duxissent.

Inst.—Saltem juxta hanc doctrinam dicere oportet elementa permanere formaliter in mixtis; eadem enim ratio urget pro illis ac pro composito humano. Hoc autem pugnat cum his, quæ de continentia elementorum in mixto in Cosmologia tradita sunt. Ergo...

Resp.—*Neg. antecedens cum ejus probatione.* Elementa enim ex quibus resultant mixta, substantiæ sunt in se completæ atque ad aliarum compositionem natura sua non ordinatæ, Contrarium autem accidit corpori et animæ: ambo enim sunt substantiæ quædam incompletæ appetitu naturali unionem ipsarum quærentes.

394.—Obj. V. Forma corporeitatis pugnat cum axioma illo philosophico: *Corruptio unius est generatio alterius*; in corruptione enim hominis et generatim omnium viventium corporeorum nullum compositum generatur. Ergo rejicienda.

Resp.—*Neg. ant.—Ad ejus probat. dist. assert.:* In corruptione hominis etc. nullum compositum generatur *immediate*, Conc.: *mediate*, Neg. In corruptione viventium corporeorum id ipsum accidit, quod in eorum generatione. Sicut enim in hac corruptio seminis mediate generatio viventis est, quia ad eam natura sua ordinatur; ita etiam propter similem rationem corruptio viventium mediata aliorum compositorum generatio est.

ARTICULUS VI.

De sede animæ humanæ.

395.—Platonici et Cartesiani, quibus corpus merum animæ habitaculum erat, animam humanam in certa quadam hujus habitaculi parte collocarunt. Oliva Sabuco, inter hispanas fæminas scientia sua illustris, cerebrum cum quibusdam anti-

quis Philosophis illi tamquam sedem propriam assignavit. Post eam Cartesius animam in ea cerebri parte quæ *glandula pinealis* vocatur, Lapeyronius in corpore calloso, Buffonius denique in diaphragmate cerebri, seu membrana ipsum involvente defixerunt: Guevara vero nunc hanc nunc aliam cerebri partem occupare dixit, prout rerum adjuncta postulant. His omnibus opponitur sententia vera Scholasticorum, quæ in omnibus prorsus corporis partibus aliquo vitæ genere fruentibus eam collocant, quæque facile ex superius tractatis probari potest. Sit ergo sequens

PROPOSITIO.

Animæ humanæ substantia tota est in toto corpore et tota in singulis ejus partibus.

396.—*Demonst.*—Animæ humanæ substantia ibi tota esse debet, ubi existunt ejus potentiæ vitales: illarum enim subjectum est, et aliunde partibus destituitur. Atqui in omnibus corporis partibus existit aliqua animæ potentia: omnes enim vivunt vita saltem vegetativa; vitæ autem omnis principium in homine anima rationalis est, ut ex supra demonstratis constat. Ergo...

Solvuntur difficultates.

397.—Obj. I. Anima humana, cum sit simplex, nequit spatium aliquod extensum occupare, quin replicetur. Atqui replicatio naturaliter impossibilis est. Ergo...

Resp.—*Neg. maj.*—Anima minime replicatur, licet spatium aliquod extensum repleat. Replicatio enim est simultanea entis existentia in pluribus locis adæquatis; anima autem non existit nisi in uno loco sibi adæquato, quod est corpus. Præterquam quod, si argumentum aliquid valeret; anima non deberet occupare nisi unum punctum mathematicum corporis, quia secus spatium aliquod extensum repleret. Hoc autem posito, nullam rem hujus mundi sentire posset; quia impossi-

bile est ut omnes nervi sensorii in unum corporis punctum mathematicum coeant.

398.—Obj. II. Si anima esset tota in quavis corporis parte, ibi esset cum omnibus suis potentiis; siquidem omnes in ea radicantur. Sed potentiae animae determinatam in corpore sedem habent. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Si anima etc., ibi esset cum omnibus suis potentiis *inorganicis*, Trans.: *organicis*, Neg. Potentiae organicæ non in anima sola resident sed in conjuncto, ut supra ostensum est: in illa ergo sola corporis parte esse debent, in qua operationes suas exercent.

399.—Obj. III. Si anima est tota in singulis corporis partibus, *digitus* hominis ex. gr. esset verus homo; quia est compositum quoddam physicum ex materia et anima rationali. Atqui hoc admitti nequit. Ergo...

Resp.—*Neg. maj. cum ejus probatione.*—Nec digitus nec ulla pars hominis est *homo*, sed *pars* tantum ejus *integralis*: nulla enim humani corporis pars vivere naturaliter potest nisi *in toto*.

400.—Obj. IV. In nostra sententia anima recederet a quavis corporis parte, quæ ob motivum quodlibet vita privaretur. Atqui hoc dici nequit. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Recederet a parte corporis vita privata, *quatenus hæc esse ei physice unita et vitam ejus participare desineret*, Conc.: *quatenus anima motu aliquo locali ab illa parte voluntarie abiret*, Neg. *Et contradist. min., nego conseq.*



CAPUT VII.

De mutuo influxu corporis et animæ.

401.—Unio substantialis, qua corpus cum anima copulatur, facit ut eæ duæ substantiæ in unitate ejusdem naturæ existant et tamquam partes ejusdem totius *aliquo modo* invicem se afficiant. Porro ut hunc modum explicemus, prius de influxu animæ in corpus, deinde vero de influxu corporis in animam distinctis articulis disseremus.

ARTICULUS PRIMUS.

De influxu animæ in corpus.

Anima tum formaliter tum etiam active influit in corpus, cui substantialiter unitur, ut ostendet sequens

PROPOSITIO.

Influxus animæ in corpus alius formalis, alius activus est.

402.—*Prob. 1.^a p.*—Anima per suam unionem substantialem contrahit materiam corporis ad determinatam speciem hominis, suam illi vitam virtutesque vitales communicando: ratione namque hujus unionis corpus humanum vitam animæ participat et actiones suas vitales exercet. Atqui influxus hujusmodi pure formalis est seu ad causalitatem formalem spectans; quæ in mera unione ad materiam consistit, ut in Ontologia dictum est (O. 510). Ergo...

403.—*Prob. 2.^a p.*—Anima ratione voluntatis, quæ facultas quædam spiritualis est et in sola animæ substantia recipitur, active omnes suas potentias ipsumque corpus movet: experientia enim constat, imperante voluntate, phantasiam representationes suas imaginarias cudere, potentiamque motricem corpori motum progresivum imprimere. Ergo anima effective etiam in suum corpus influit. Notandum tamen cum Suare-

zio (1), influxum hunc non dici effectivum, quatenus voluntas suo imperio aliquid imprimat in potentias a se motas aut physice in actus carum concurrat; sed vocari talem, quatenus ad voluntatis placitum reliquæ potentiæ in suos actus sponte sua erumpunt, utpote in eadem anima radicatæ et voluntati naturaliter subordinatæ: unde influxus voluntatis in ceteras potentias vere solum moralis est, ut ipse Suarezius observat loco supra citato. *

ARTICULUS II.

De influxu corporis in animam.

Sicut influxus animæ in corpus est duplicis generis, ita etiam et influxus corporis in animam, ut ostendet sequens

PROPOSITIO.

Influxus corporis in animam alius materialis, alius activus est.

404.—*Prob. 1.^a p.*—Corpus, quatenus subjectum adhæisionis est animæ, unum ens vere cum ea constituit et in adhæisionis hujus existentiam ac conservationem suis dispositionibus materialibus concurrat. Sed causalitas hæc est causarum materialium propria, ut ex dictis in Ontologia circa causalitatem materialem constat (O. 510). Ergo...

405.—*Prob. 2. p.*—Corpus, licet virtute ab ipsa anima accepta, actibus suis in actus animæ per intellectum elicitos influit. Intellectus enim in hoc statu unionis indiget determinari ad suas ideas a phantasmatibus, quæ actus organici sunt a potentia materiali et corporea per animam vivificata producti. Sed influxus hic effectivus est et a materiali distinctus. Ergo... Neque vero dicas phantasiam non physice sed moraliter in intellectum atque ejus actus influere. Nam voluntas etiam solum moraliter actus reliquarum potentiarum producit; et tamen,

(1) Suarez. *de anima*, lib. 5, cap. 7, n. 7.

quia hoc per actum aliquem ab ipsa elicitum facit, active influere dicitur: ergo id ipsum de phantasia pari jure dicendum est.

QUÆRES — 1.º *An diversa capacitas perfectionum naturalium, quæ in hominibus cernitur, ex dispositionibus corporis tantummodo veniat, vel etiam ex diversa perfectione individuali ipsarum animarum.*

406. — Resp. — Res est incerta et in utramque partem defendi potest: unde et de facto ita a Philosophis defenditur (1). S. Thomas diversitatem prædictam non modo ex qualitatibus corporis sed ex ipsa perfectione individuali uniuscujusque animæ derivat, hæc scribens: «Manifestum est, quod quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortitur animam. Quod manifeste apparet in his quæ sunt secundum speciem diversa. Cujus ratio est, quia actus et forma recipitur in materia secundum materiæ capacitatem. Unde, cum etiam in hominibus quidam habeant corpus melius dispositum, sortiuntur animam majoris virtutis in intelligendo (2)». Alii e contra totam perfectionis intellectualis differentiam ex solis corporis dispositionibus repetunt. Unde dicunt «sæpe eundem hominem pro temporum ac dispositionum varietate magnam in se experiri operationum et inclinationum diversitatem: sæpeque accidere, ut idem ipse mutetur de rudi in ingeniosum, aut e converso, ut morbo memoriam amittat, ut de prudenti delirus evadat (3)».

QUÆRES. — 2.º: *Quid de systematibus anguli facialis, phrenologico et temperamentorum ad dignoscenda hominum ingenia excogitatis dicere oportat?*

407. — Resp. — 1.º a) Primum ex his systematibus induxit Camper: qui tum hominis, tum etiam omnium animalium vim cognoscitivam dimetiri aggressus est ex angulo faciali, quem in inferiore parte nasi duæ lineæ efformant ex prominentiore parte frontis atque ex conducto auditivo externo ad prædictum punctum ductæ. Eo enim acriorem cognoscendi vim esse in unoquoque existimabat, quo major sit angulus per duas has

(1) Cfr. Losada, *de anima*, disp. 2, cap. 4.

(2) S. Thomas, *Summ. Theol.* 1. p. q. 85, art. 7, in 0.

(3) Ita P. Losada, *loc. cit.* n. 82.

lineas efformatus; quia tunc major est cerebri quantitas, cujus operationes in functiones intelligentiæ maxime influunt.


b) Secundum Doctor Gall excogitavit unicuique facultati perceptivæ et appetitive suum peculiare organum in cerebro assignans, atque ex magnitudine uniuscujusque organi exterius in superficie cranii per ejus prominentias, ut ipse putabat, manifestata magnitudinem facultatis illi insidentis conjectans. Hoc modo organa sex supra viginti facultatum in humano cerebro sibi invenisse visus est, inter quæ organa *devotionis*, *pertinacix*, *amicitiæ*, *crudelitatis*, etc. recensuit.

c) Tertium denique multo ante duo præcedentia in Hispania vidit lucem, auctore Joanne Huarte; qui, sæculo decimo sexto natus, consideratione temperamentorum in hominibus prævalentium systema confecit phrenologicum ad dignoscenda hominum ingenia, illudque in vulgus edidit in opere, cui titulus: «Examen de ingenios para las ciencias». Systematis Huartiani summam dedit P. Cuevas in sua *Psychologia* n. 152, ex qua hæc duo ultima puncta hic apponere juvat: «5.º Posita cerebri conveniente conformatione et mole, diversitas ingeniorum nascitur ex diversitate temperamentorum, quæ in hominibus prævalent. Cum igitur ex quatuor humoribus, siccitate, humiditate, calore et frigiditate posterior noceat ingenio, tres tantum existunt ingeniorum varietates, prout in cerebro prævalet siccitas, humiditas aut calor; quamvis ex his tribus infinitæ propemodum derivantur juxta gradus intensitatis, quibus singuli prævalent humores. 6.º Siccitas juvat intellectum: unde fit, ut qui hoc humore abundant, excellant in Theologia scholastica, Medicina speculativa, Philosophia, causis in foro agendis. Humiditate augetur memoria, ingeniumque suppetit ad grammaticam ad discendam cum omni genere linguarum, partem theoreticam Juris, Theologiam expositivam, etc. Calor fovet imaginationem quæ amica est liberalium artium, eloquentiæ, medicinæ practicæ, matheseos et artis militaris». Systema hoc recentiores alii verbis explicant, quatuor temperamenta in hominibus constituentes, *bilosum* scilicet, *phlegmaticum*, *sanguineum* et *nervosum*; quorum tria prima ipsa Huartiana sunt per siccitatem seu bilem, humiditatem seu lympham et calorem seu sanguinem generata.

408. — Resp. — 2.º a) Systema anguli facialis in genere consideratum aliquid sane veritatis continet: animalia enim quo stupidiora sunt, eo angustiores angulum prædictum habere solent. Unde et antiqui statuis deos olympicos, semideos atque heroes repræsentantibus angulos faciales diversos ad diversam eorum sapientiam significandam tribuerunt. Imperfectum tamen in se dici debet: tum quia perfectio sensibilitatis internæ, per quam immediate in actus intellectus influit corpus, non solum ex quantitate sed etiam ex qualitate materiæ pendet; tum etiam quia conformatio maxillæ superioris et cranei talis esse potest, ut angulus prædictus in designanda cerebri quantitate omnino fallax mensura evadat.

b) Systema phrenologicum, quod etiam *craneoscopicum* vocari solet, omni prorsus fundamento caret: tum quia sine ratione facultates perceptivas et appetitivas in homine multiplicat; tum quia singulas facultates non ex diversitate actuum sed objectorum materialium distinguit; tum quia omnem facultatum vim figuræ organi ac soli materiæ quantitati adscribit, cum ex materiæ etiam qualitate sit repetenda; tum denique quia ipsi intelligentiæ, quasi materialis foret, organum assignat: unde solis Materialistis placere potest.

c) Systema temperamentorum hos omnes defectus vitat, vim facultatum sensitivarum magis ex qualitate quam ex quantitate materiæ cerebri desumens, atque intelligentiæ nullum prorsus organum assignans. Præterea condiciones tum physicas, tum intellectuales, tum denique morales, salva hominis libertate, satis apte depingit. Unde, quamvis hujusmodi temperamenta semper magis vel minus commixta in individuis inveniri soleant; tamen studium temperamenti specialis, quod in singulis ex omnium commixtione resultat, maximi emolumenti est ad usum humanæ vitæ atque ad salutem corporis sive integram conservandam; sive amissam restituendam.



CAPÍTULO VIII.

De origine tum animæ humanæ tum etiam
compositi per eam efformati.

ARTICULUS PRIMUS.

De origine animæ humanæ.

409.—Circa animæ humanæ originem varii extiterunt errores. Nam. 1.º Quidam antiquissimi Philosophi, imaginationem, ut ait S. Thomas (1), transcendere non valentes, primum rerum principium seu Deum corpus quoddam esse putaverunt, animamque hujus corporis partem esse dixerunt: unde animam particulam quamdam Divinitatis esse censuerunt. 2.º Id ipsum postea tenuerunt Stoici, dicentes Deum esse animam Mundi, animam vero hominis partem quamdam hujus animæ esse, sicut homo est pars Mundi totius. 3.º Eundem errorem amplexati sunt, hodierni Pantheistæ, Deum cum Mundo confundentes, omnesque spiritus sive ut partes, sive ut determinationes quasdam substantiæ divinæ considerantes. 4.º Positivistæ, qui solas res sensibiles admittendas esse a philosopho dicunt, animam humanam considerant ut partem quamdam vis cosmicæ universalis, quæ perpetuo eadem sub diversis formis in materia perseverat. Unde cum vim hanc universalem in motu materiæ locali, qui in lucem, calorem, electricitatem et alias hujusmodi qualitates materiales transformatur, ipsi reponant, animam humanam et aliam quamlibet per transformationem quamdam motus localis in corporibus existentis eodem modo atque electricitas, calor, etc. in materia organizata oriri ajunt. 5.º De-

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 90, art. 1.

nique Traducianistæ animam eatenus oriri in unoquoque individuo dicunt, quatenus per traducem ex parentibus in filium per generationem transmittitur ad eum modum, quo ex una candela in aliam flamma propagatur. Contra has autem omnes falsas doctrinas pugnat vera et catholica Scholasticorum, tenens animam humanam per veram creationem a Deo produci: quam ut tueamur, sequentes theses probandas suscipimus.

PROPOSITIO PRIMA.

Anima humana non est pars substantiæ divinæ aut aliquid ex ea per emanationem exortum.

410.—*Demonst.*—Patet iisdem argumentis, quibus in Cosmologia pantheismi falsitatem ostendimus. Nam nec Deus habet partes, in quas dividi queat; nec substantia animæ humanæ habet perfectiones proprias Divinitatis; quas deberet habere, si esset quid ex substantia divina naturaliter progerminans. Unde sapientissime scribit S. Thomas: «Dicere animam esse de substantia Dei manifestam improbabilitatem continet. Ut enim ex dictis patet, anima humana est quandoque intelligens in potentia, et scientiam quodammodo a rebus acquirit, et habet diversas potentias; quæ omnia aliena sunt a Dei natura, qui est actus purus, et nihil ab alio accipiens, et nullam in se diversitatem habens (1).»

PROPOSITIO SECUNDA.

Anima humana non existit vi essentiæ suæ, sed est quid vere ab alio productum.

411.—*Demonst.*—Si anima existeret vi essentiæ suæ, esset quid essentialiter immutabile, simplex,

(1) S. Thom., *Summ. Theol.* I. p. q. 90, art. 1.

independens ab alio in operando, etc.: eæ namque sunt proprietates entis a se, seu existentis vi essentialis suæ. Sed nihil horum animæ nostræ competit, ut manifesta docet experientia. Ergo...

PROPOSITIO TERTIA.

Anima humana non oritur per transformationem ullam virium materialium.

412.—*Demonst.*—Anima humana, ut ex supra demonstratis constat, est substantia quædam spiritualis supra omnes substantias materiales posita. Sed nulla substantia spiritualis oriri potest per transformationem virium materialium; quia vires materiales, quantumvis transformatæ, semper remanent materiales et a materia dependentes tam in essendo quam in operando, quorum nihil substantiæ spirituali competit. Ergo...

PROPOSITIO QUARTA.

Anima humana non oritur per traducem ex animabus aut corporibus parentum.

413.—*Prob. I.^a pars.*—Si anima humana oriretur per traducem, virtute contenta in semine a parentibus produceretur. Atqui hoc omnino repugnat; tum quia virtus contenta in semine, utpote materialis, nequit se extendere ad substantiam immaterialem, qualis est anima humana; tum quia anima generantis non imprimit semini nisi virtutem quamdam vegetativam, hæc autem impotens est efficere rem spiritualem; tum denique quia, si virtute in semine contenta produceretur, vere a parentibus generaretur ac

proinde foret materialis juxta dicta in Ontologia (O. 497). Ergo... (1).

414.—*Prob. 2.^a p.*—Si anima filii oriretur ex animabus parentum, anima humana foret substantia quædam in partes divisibilis; siquidem non concipitur quomodo aliter ex animabus iis oriri valeat quam aliquid de substantia illarum accipiendo. Sed anima humana simplex est, ut ex supra ostensis constat (286). Ergo...

415.—*Prob. 3. p.*—Si anima humana oriretur ex corporibus parentum, foret substantia quædam corporea; siquidem ex corpore non nisi corpus potest generari. Sed anima humana non est corpus nec aliquid ex materia coalescens (286). Ergo...

PROPOSITIO QUINTA.

Anima humana oritur per creationem immediate a Deo factam.

416.—*Prob. 1.^a p.*—Anima humana est substantia quædam spiritualis. Sed substantia spiritualis oriri nequit nisi per creationem. Cum enim sit simplex et partibus careat; tota omnino debet transire ex non-esse ad esse, ut oriri possit: cum vero sit spiritualis; ita transit ex non-esse ad esse, ut sit independens a materia in essendo et in operando; ac proinde producit ex nihilo sui et subjecti, seu vere creatur ex nihilo (O. 466). Ergo...

Prob. 2.^a p.—Creatio est actio Dei exclusiva, ut in Theodicea ostenditur. Ergo...

(1) Cfr. S. Thomas, *Summ. Theol.* 1. p. q. 118, art. 2.

Solvuntur difficultates.

417.—Obj. I. Anima humana est in corpore tamquam in subjecto. Sed forma omnis in corpore tamquam subjecto recepta per veram generationem producitur. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Anima humana est in corpore tamquam in subjecto *adhæisionis*, Conc.: *inhæisionis*, Neg. *Et contradist. min., neg. conseq.* Forma aliqua est in alia tamquam subjecto *adhæisionis*, quando ipsa de se habet suum esse independens ab illo subjecto et potest naturaliter ab illo separata conservari: est vero in alio tamquam subjecto *inhæisionis*, quando non nisi in eo potest naturaliter existere; ita ut esse ejus non sit proprie esse, sed inesse. Forma secundæ classis producitur quidem per generationem; secus vero illa altera primæ classis, qualis est anima humana.

418.—Obj. II. Si anima humana a solo Deo creatur, parentes proprie non generant suos filios; sed simpliciter disponunt materiam, ut secundum leges a Deo statutas ipse illam informet per infusionem animæ a se creatæ, et ita homines producat. Sed omnium prorsus persuasio est homines vere ab hominibus generari. Ergo...

Resp.—*Neg. maj.*—Nam parentes per virtutem semini impressam ita embryonis materiam disponunt, ut illi infusio animæ humanæ naturaliter debeatur: unde actionem producent, cujus ultimus terminus est hominis effectio.

419.—Obj. III. Si anima humana per creationem a Deo fit, vires Mundi sine interruptione augentur. Atqui hoc pugnat cum doctrina apud Physicos commuñiter recepta circa perseverantiam ejusdem prorsus energiæ in hac rerum universitate. Ergo...

Resp.—*Neg. maj.*—Anima enim humana nullum motum localem imprimere corporibus potest nisi per potentias motrices, quæ organicæ sunt et leges energiæ universalis huic mun-

do impressæ sequuntur; quod quidem facit ut energia prædicta nullum augmentum aut decrementum ex hac parte accipiat.

420.—Obj. IV. Saltem traducianismus ut opinio quædam probabilis haberi a quolibet potest: nullibi enim definivit Ecclesia animam humanam oriri per creationem, et originem ejus per traducem plures catholici sæculo V professi sunt. Ergo...

Resp.—*Neg. assert.*—Doctrina enim a nobis defensa rationibus certis atque evidentibus patet; propter quas non dubitavit Angelicus Doctor hæc scribere: «Hæreticum est dicere, quod anima intellectiva traducatur cum semine (1)». Neque rationes in contrarium aliquid valent: nam quamvis Ecclesia nihil circa doctrinam aliquam definiat, potest aliunde certitudo comparari; et ex eo quod aliqui Doctores, re nondum liquata, sæculo V circa veram animæ originem dubitaverint, concludere minime licet hoc idem dubium unanimi Doctorum catholicorum sensui adversum nunc etiam esse permissum.

ARTICULUS II.

De hominis, humanique generis origine.

421.—Materialistæ hodierni, antiquos imitati, originem hominis naturali ac progressivæ virium physicarum evolutioni adscribunt. Hinc, generationem spontaneam proclamantes, plantas per meras virium molecularium combinationes exortas fuisse dicunt, ex plantis autem animalia, atque ex animalibus hominem ulteriore earundem virium evolutione processisse. Unde tandem cum Darwinò concludunt hominem non aliud esse nisi simiam quamdam lento naturæ progressu ad perfectionem magnam adductam.

422.—Ad originem humani generis quod attinet, Polygenistæ impossibile esse contendunt, ut omnes hominum classes terram incolentes ex eodem parente procedere potuerint: unde genus humanum in plures stirpes specie diversas distribuunt et unitatem hominum specificam negant. Porro nostrum non

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* I. p. q. 118, art. 2.

est *factum* procreationis omnium hominum ex uno parente ostendere, siquidem hoc ad theologum et ad historicum spectat; sed *possibilitas* solummodo hujus facti a nobis demonstranda est.

His præactis, jam ad quæstionis propositæ resolutionem veniamus.

PROPOSITIO PRIMA.

Homo neque ex simia neque ex ullo quovis animali naturali propagine gigni potuit, sed immediate a Deo factus dicendus est.

423.—*Prob. 1.^a p.*—1.^o Si homo ex simia aliqua naturali propagine genitus fuisset, membrorum dispositio in utroque eadem aut fere eadem esset; quoniam filius patris naturam refert, ut perpetua experientia testatur. Atqui res e contra omnino accidit: nam tota membrorum dispositio in simia ad saltandum ex arbore in arborem, in homine autem ad progrediendum in terra statione recta naturaliter dirigitur (1). Ergo...

(1) «L'homme et les singes en général, scribit Quatrefages (*L'espèce humaine*, chapt. XI, n. IV), présentent au point de vue du type un contraste très-accusé. Les organes qui le constituent, se répondent, avons-nous déjà dit, presque rigoureusement terme à terme. Mais ces organes sont disposés d'après un plan fort différent. Chez l'homme ils sont coordonnés de telle sorte qu'il est nécessairement *marcheur*; chez les singes, d'une façon telle qu'ils sont non moins impérieusement *grimpeurs*.....

La conséquence de ces faits, au point de vue de l'application logique de la *loi de caractérisation permanente*, est qu l'homme ne peut descendre d'un ancêtre déjà caractérisé comme singe, pas plus d'un catarrhiniem sans queue que d'un catarrhiniem à queue.—Un animal *marcheur* ne peut pas descendre

2.º Tota corporis humani conformatio, ut optime ostendit S. Thomas (1), eo ordinata existit, ut vitæ intellectuali serviat: «homo enim inter omnia animalia respectu sui corporis habet maximum cerebrum, ut liberius in eo perficiantur operationes interiorum virium sensitivarum, quæ sunt necessariæ ad intellectus operationem (2)»; et similiter habet staturam rectam, «ut cerebrum, in quo operationes interiorum virium quodammodo perficiuntur, non sit depressum, sed super omnes corporis partes elevatum; et ut habens faciem erectam, per sensus et præcipue per visum, qui est subtilior et plures differentias rerum ostendit, libere possit ex omni parte sensibilia cognoscere, et cœlestia, et terrena, ut ex omnibus intelligibilem colligat veritatem (3)». E contra tota siminini corporis conformatio ad vitam vegetativam et sensilem sponte sua dirigitur. Atqui si homo simiacretus esset, impossibilis prorsus foret tam perfecta inter utriusque corpora oppositio, cum generatio ad perpetuandam eandem generantis naturam ex se tendat. Ergo... 3.º In hypothesi darwiniana inveniri in Mundo debet processus continuus, quem natura in evehendis simiis ex sua conformatione bestiali ad humanam sequuta est: siquidem processum hunc non in uno vel altero individuo sed in tota simiarum classe urgere sine interruptione debuit. Atqui proces-

d'un animal *grimpeur*. C'est qu' a très-bien compris Vogt. Tout en plaçant l'homme au nombre des *primates*, il n'hésite pas à déclarer que les singes les plus inférieurs ont dépassé le jalon (ancêtre commun) d'où sont sortis en divergeant les différents types de cette famille».

(1) S. Thom., *Summ. Theol.* 1. p. q. 91, art. 3.

(2) Id. *ibid.* in resp. ad 1.^{um}

(3) S. Thom. *loc. cit.* in resp. ad 3.^{um}

sus hic continuus nullibi comparet, sed e contra magnus atque insuperabilis hiatus inter simias et homines cujuscumque generis deprehenditur. Ergo...

4.º Characteres psychologici, quibus homines a simiis secernuntur, tanta oppositione patent, ut impossibile prorsus sit inter utramque horum entium classem veram sanguinis cognationem admittere. Nam simiæ, quantumvis inter homines vivant, numquam *loqui* discunt, nec *orare*, nec *meditari*, nec *philosophari*, imo nec inventis humanis uti; dum e contra hæc omnia in omnibus prorsus hominum, quantumvis imperfectissimorum, classibus reperire est. Ergo...

424.—*Prob. 2.ª p.*—Quodcumque animal humani generis parens esse fingatur, illi applicare manifeste possumus eadem prorsus ratiocinia, quibus in prima hujus theseos parte usi sumus. Atqui per illa invicte ostendimus hominem ex nulla omnino simia naturali generatione procedere. Ergo ex iisdem pariter patet hominem nulla prorsus bellua cretum existere.

425.—*Prob. 3.ª p.*—1.º Ad solum Auctorem naturæ spectat animam humanam corpori substantialiter unire, sicut ipsius proprium est eam creare. Ergo solus Deus hominem creare potuit, ac proinde homo immediate a Deo factus dicendus est. 2.º In tantum ortum suum a Deo mediate haberet, quatenus immediate factus fuisset ab angelis; quoniam ex nullo alio vivente per generationem naturalem procedere potest, ut ex proxime dictis constat. Atqui nullus angelus virtute sua physica vel minimam ex his naturis sensibilibus producere valet. Nam, ut optime observat S. Thomas, «manifestum est quod factum est simile facienti, quia omne agens agit sibi simile. Et ideo id, quod facit res naturales, habet similitudinem cum composito: vel quia est compositum, sicut ignis generat ignem; vel quia tutum compositum et quan-

tum ad materiam et quantum ad formam est in virtute ipsius. Quod est proprium Dei (1)». Ergo...

Difficultates quæ contra hanc thesim afferri possent, jam in Cosmologia agendo de origine organismorum refutatae sunt: omnes enim in generali *naturalis descentiæ* hypothese fundantur.

PROPOSITIO SECUNDA.

Omnia generis humani individua specifica unitate gaudent, ita ut per viam generationis naturaliter ex eodem stipite procedere potuerint.

426.—*Demonst.*—1.º Omnes hominum stirpes terram incolentium ita generando sanguinem suum commiscere valent, ut proles natæ sine ulla speciali cura in infinitum per lineam rectam propagari possint, quasi ex eodem stipite processissent. Sed hæc est nota ad dignoscendam unitatem specificam diversarum stirpium a Naturalistis admissa, sicut contraria *hybridismi* proprietas ut nota diversitatis specificæ inter stirpes sanguinem suum commiscentes ab ipsis agnoscitur. Ergo... 2.º Differentiæ quibus individua diversarum stirpium ad invicem discriminantur, non essentielles, sed accidentales sunt. Nam: *a*) in ordine ad quamcumque humanarum stirpium proprietatem, qualesunt *color, conformatio cranei, etc.*, possunt individua totius generis humani ita disponi, ut per differentias insensibiles ex uno ad aliud transitus fiat; *b*) individua quæ differunt ratione coloris,

(1) S. Thom., *Summ. Theol.* I. p. q. 110, art. 2.

frequenter conveniunt in conformatione cranei et vice versa: unde si propter unum ad diversas species referenda sint, propter aliud in eadem retinenda erunt: c) in quavis stirpe humana *per accidens* apparent characteres aliarum proprii, ut talis conformatio cranei, talis color, etc.: hæc autem omnia in solis qualitatibus accidentalibus contingunt. Ergo.....

3.º Characteres physiologici, intellectuales et morales omnibus humani generis stirpibus communes sunt. Nam: a) omnes humanæ stirpes uniformes inveniuntur quoad tempus pubertatis, conceptionis et gestationis, quoad durationem vitæ, genera morborum et cætera omnia, quæ ejusdem speciei individuis communia esse solent et in illis solis reperiuntur; b) omnibus idem specificè intellectus inest cum capacitate progrediendi in via civilizationis conjunctus, ut ex supra demonstratis patet (133); c) in omnibus manifestantur ideæ honestatis, justitiæ, religionis, etc.; d) omnes denique magis vel minus socialiter vivunt et singulæ cum aliis quibuslibet vitam sociale ducere possunt. Atqui hoc non nisi individuis ejusdem speciei convenit, quæ ratione suæ naturæ specificæ ex eodem stipite procedere potuerint (1). Ergo...

Difficultates quæ in re hæc occurri possent, jam in probatione theseos præoccupatæ sunt. Id ad eas dissipandas tantum generaliter notabimus, individua speciei humanæ, sicut et aliarum quarumlibet, variationis accidentalis capacia existere; atque exinde processu temporis hominum *stirpes* efformari, quarum characteres sunt difficile mobiles, *quia naturam imitantur*.

(1) Cfr. Quatrefages, *L' espèce humaine*, ubi uberius hæc quæstio tractatur. De hac re latius egi in opere «La Religion católica etc.», cap. XXV.

CAPUT. IX.

De animae, humanique generis antiquitate.

ARTICULUS PRIMUS.

De instanti, quo efficitur anima humana.

427.—Animas humanas et substantias omnes spirituales perpetuo exitisse plures antiqui opinati sunt, quorum rationes videri possunt in D. Thoma *cont. gent.* lib. 2, cap. 33. Pythagorici eas ante præsentem vitam in astris vixisse more spirituum docuerunt, et propter sua peccata in corporibus terrestribus tamquam carceribus fuisse inclusas; quorum sententia jam supra a nobis refutata est (319). Leibnitzius denique animas posuit in primi hominis corpore inclusas, atque ex illo per generationem in subsequentes homines traduci judicavit. Porro has omnes sententias tamquam erroneas catholici Doctores rejiciunt, ajuntque animas tunc a Deo creari, quando corporibus infunduntur. Non conveniunt autem circa momentum temporis, in quo hæc infusio fit: plures enim cum Aristotele (1) et D. Thoma (2) censent primo introduci in fœtum animam vegetativam, deinde sensitivam ac denique rationalem; alii vero e contra judicant statim introduci animam in generatione ultimo intentam, quæ prius exerceat operationes vitæ vegetativæ, deinde sensitivæ, ac denique rationis; unde animam humanam dicunt corpori infundi in ipso conceptionis puncto.

Iis prænotatis, jam ad quæstionis resolutionem veniamus.

(1) Aristoteles, *de generatione animalium*, lib. 2, cap. 3.

(2) S. Thom., *Summ. Theol.* 1. p. q. 118, art. 2, ad 2.^{um}

PROPOSITIO PRIMA.

Animas humanas ab æterno existentes ponendi nulla necessitas est.

428.—*Demonst.*—Patet iisdem argumentis, quibus in Cosmologia similem propositionem circa Mundi æternitatem ostendimus (C. 236).—Nec vero quis dicat animam humanam, utpote spiritualem, intrinsicam aptitudinem habere ad perpetuo vivendum. Nam aptitudo hæc non est physica nisi cum anima jam producta est; Deus autem liber est ad illam creandam in quolibet momento temporis possibilis, sicut potest pro lubitu eam creare vel non creare. Ergo...

PROPOSITIO SECUNDA.

Animæ humanæ tunc a Deo creantur, quum suis corporibus infunduntur.

429.—*Demonst.*—1.º Anima humana corpori unitur ut forma et actus ejus. Atqui «actus, licet sit naturaliter prior potentia, tamen in eodem tempore est posterior movetur enim aliquid de potentia in actum. Ergo prius est semen, quod quidem est potentia vivum, quam anima, quæ est actus vitæ (1)»; ac proinde animæ non creantur nisi quando materia seminis per eam vivificari postulat. 2.º «Unicuique formæ naturale est propriæ materiæ uniri; alioquin constitutum ex forma et materia esset aliquid præter naturam. Prius autem attribuitur unicuique quod convenit secundum naturam quam quod convenit ei

(1) Id., *cont. gent.* lib. 2, cap. 83.

præter naturam: quod enim convenit alicui præter naturam, inest ei per accidens; quod autem convenit ei secundum naturam, inest ei per se. Quod autem per accidens est, semper posterius est eo, quod est per se. Animæ igitur prius convenit esse unitam corpori, quam esse a corpore separatam. Non est igitur creata ante corpus, cui unitur (1)». 3.º Deus unamquamque rem instituit in perfecto suæ naturæ statu, secundum quod species illius exigit. Atqui anima, cum sit pars humanæ naturæ, non habet naturalem perfectionem, nisi secundum quod est corpori unita. Ergo Deus animam non creat nisi simul eam corpori humano infundendõ. 4.º Si animæ separatæ a corporibus creari fingantur; corporibus deinde uniuntur, vel juxta vel contra earum naturam. Atqui neutrum dici potest. *Non primum*: quia in prima sua creatione constituerentur in statu suæ naturæ contrario, quod repugnat. *Non secundum*; quia status unionis foret eis violentus, quod est contra experientiam (2).

Solvuntur difficultates.

430.—Obj. I. Principio respondet finis: atqui in fine anima remanet post corpus: ergo etiam in principio anima debuit esse sine corpore.

Resp.—*Dist. maj.*—Principio respondet finis *in iis, quæ sunt per se*, Conc.: *in iis, quæ sunt per accidens*, Neg. Deinde *dist. min.*: In fine anima remanet post corpus *per accidens*, quatenus nempe accidit ut hæc compositi naturalis pars sit capax existendi in se post compositi dissolutionem, Conc.: *per se*, quatenus status separationis magis naturalis animæ sit quam

(1) *Id. ibid.*

(2) Cfr. S. Thom, *cont. gent.* lib. 2 toto capite 83, ubi latius hæc quæstio tractatur.

status unionis, Neg. Hinc *sub datis distinctionibus nego consequentiam*. «Animam remanere post corpus, ait optime S. Thomas, accidit per defectum corporis, qui est mors: qui quidem defectus in principio creationis animæ esse non debuit (1).»

431.—Obj. II. Dici potest uterque status et unionis et separationis esse animæ æque naturalis. Atqui, hoc posito, nullum inconueniens est in fingendo animam creatam ante vitam corporalem: nam anima potuisset spontanea voluntate in corpus venire. Ergo...

Resp.—*Trans. maj., nego minorem cum ejus probatione*. Nam, ut optime observat Angelicus Doctor, «nullus vult in statum pejorem venire nisi deceptus. Anima autem separata est altioris status, quam corpori unita, et præcipue secundum Platonicos, qui dicunt quod ex unione corporis patitur oblivionem eorum quæ prius scivit, et retardatur a contemplatione puræ veritatis. Deceptionis autem nulla in ea causa esse potest (2)».

PROPOSITIO TERTIA.

Probabilius asserendum videtur animas corpori copulari in ipso conceptus puncto.

432.—*Demonst.*—1.º Anima tunc uniri corpori dicenda est, quum aliquam operationem in eo exercere valet: tum quia tunc jam est materia seminis ad ejus informationem recipiendam disposita: tum quia a corpore etiam anima non recedit, nisi quando nullam prorsus cum eo operationem vitalem edere potest: tum denique quia, sicut post informatum corpus materiæ denuo advenienti immediate unitur, quin materia hæc prius exstiterit sub animabus vegetativa et sensitiva; ita etiam ab initio poterit materiam seminis informare, quin hæc prius per

(1) Id., *Summ. Theol.* 1. p. q. 91, art. 4, ad 3.^{um}

(2) S. Thom. *Cont. gent.* lib. 2. cap. 83.

animas prædictas fuerit actuata. Atqui anima in ipso conceptus puncto potest cum corpore exercere aliquam operationem vitalem: nam in illo momento incipit vivere embryo vita vegetativa. Ergo... 2.^o Observationes embryogenicæ hanc ipsam rem confirmant. Per has enim constat embryonem post septem circiter dies jam exprimere modo quodam visibili, licet aliquatenus confuso, delineamenta corporis humani.

Solvitur quædam difficultas.

433.—Materia seminis non nisi successive disponi potest ad suscipiendam formam hominis substantialem. Ergo prius debet præparari per susceptionem successivam animarum vegetativæ et sensitivæ, quarum munus sit ultimo embryonem ad receptionem animæ rationalis disponere.

Resp.—*Conc. ant. et neg. conseq.*—Materia seminis successive quidem præparatur per alterationem suarum qualitatum ad recipiendam vitam vegetativam. Tunc autem non opus est ut informetur anima quadam simpliciter vegetativa; sed potest jam immediate informari anima rationali, quæ successive explicet in corpore suas virtutes naturales secundum dispositiones materiæ. Idcirco omnium consensu corpori infunditur multo ante quam operationes vitæ intellectualis in eo exercere valeat.

ARTICULUS II.

De humani generis antiquitate.

434.—Inter antiquos populos Ægyptii, Chaldæi, Indi ac Sineses fabulosam sibi antiquitatem tribuebant, ut hac ratione ceteris illustriores sese exhiberent. Inter hodiernos autem Materialistas de protrahenda mirum in modum generis humani antiquitate viritim certatur, ut hoc modo siminina hominis origo, quæ ipsis tantopere placet, minus improbabilis reddatur. Ceterum apud homines doctos et prudentes alia omnino cogitatio est: hi enim nullum adesse solidum fundamentum putant ad asserendum genus humanum plus quam acto aut ad summum decem annorum millia terram incoluisse.

435.—Longa profecto res esset quæstionem hanc, quæ tanto ardore tantaque argumentorum copia ab auctoribus agitur, pro dignitate tractare. Idcirco, cum historica sit et ad philosophum proprie non spectet, liceat eam hic prætermittere et aliqua tantum brevissima verba circa ipsam proferre.

436.—I. Quod ad chaldaicas et ægyptiacas chronologias spectat, jam ab antiquis ut fabulosæ magna ex parte rejectæ sunt (1). Hoc nostro sæculo inventa quidem sunt apud Babylonem et Ninivem monumenta quædam, ex quibus aliquid certius pro chronotaxi depromi potest. Sed monumenta hæc serios ac graves chronologos minime cogunt adtribuendum humano generi plus antiquitatis quam octo ferme millia annorum: quam quidem antiquitatem sacer ei textus tribuit juxta versionem septuaginta interpretum.

437.—II. Quod ad Sinenses et Indos attinet, historiæ quæ fidem aliquam merentur, antiquitatem horum populorum ultra Abrahami tempora non pro tendunt; aut saltem plus temporis humano generi adscribendi quam designatum per septuaginta interpretes necessitas ex illis infertur nulla.

438.—III. Argumenta *geologica*, *archæologica*, *pæ læontologica* et *anthropologica*, quæ magno numero afferuntur a Materialistis ad probandum genus humanum innumeris retro sæculis vixisse super terram, parum roboris habent. Nam tria prima genere directe vel indirecte in phænomenis fundantur terreni quaternarii, quæ ab agentibus physicis producta sunt, horum actualium virtutem longe superantibus (2),

(1) Cfr. Euseb. Cæsariens. *Chronicorum* lib. 1.

(2) «En somme, scribit D. de Lapparent (*Traité de Géologie*, 2. ème édit. pag. 1283), la période quaternaire a été caractérisée par une activité tout à fait exceptionnelle des agents extérieurs; et rien, dans ce que nous voyons aujourd'hui, n'en peut donner une idée juste».

Quartum vero ex diversis humani generis stirpibus desumitur; quæ, ob adjuncta quædam extraordinaria, in prima hominum dispersione post diluvium facta, aliquorum sæculorum spatio facile efformari potuerunt.

439.—IV. Characteres et quasi delineamenta generis humani ætatem ejus recentem aperte ostendunt. Nam imperiorum etiam antiquissimorum initia non nisi brevi paucorum sæculorum spatio a nobis separantur: scientiarum et artium origo recentis ævi est, earumque inventores ab historicis designantur: quamplures denique res ad scientias et artes spectantes, quamvis cognitu minime difficiles, ad nostra usque tempora ipsis sapientibus ignotæ manserunt. Porro hæc signa recentem humani generis originem aperte demonstrare ipse Lucretius, quamvis materialista, fateri coactus est hæc, scribens:

Præterea, si nulla fuit genitalis origo
Terraï et cœli, semperque æterna fuere,
Cur supra bellum Thebanum et funera Troiæ
Non alias alii quoque res cecinere poetæ?
Quo tot facta virum toties cecidere? nec usquam
Æternis famæ monumentis inclyta florent?
Verum, ut opinor, habet novitatem summa recensque
Natura est mundi, neque pridem exordia cepit.
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur;
Nunc etiam augescunt; nunc addita navigiis sunt
Multa; modo organici melicos peperere sonores (1).

(1) Lucret., *de natura rerum*, lib. 5, v. 323 et seqq. De humani generis antiquitate latissime egi in opere: «La Religion católica vindicada contra los ataques de los racionalistas.»

CAPUT X.

De humanarum cognitionum origine.

440.—Cognitiones humanæ aliæ *sensibiles*, aliæ *intellectuales* sunt. Porro sensibilibus cognitionum originem non difficile est declarare; siquidem ex superius tractatis constat eas a sensibus sub objectorum externorum influxu in nobis produci. Non idem tamen de intellectualibus asseri potest: cum enim objecta materialia in spiritum imprimere nequeant, haud clare apparet quomodo intellectus, qui spiritualis potentia est, ad illorum ideas cudendas determinetur. Ad enodandam hanc difficultatem quamplurima systemata a Philosophis inventa sunt; quarum præcipua hoc in capite breviter examinare curabimus, ut nostram sententiam declaremus.

ARTICULUS PRIMUS.

De systematibus empiricis.

441.—Inter antiquos exstiterunt aliqui, qui humanas ideas explicarunt per imagines quasdam materiales menti ab objectis immissas. Hac nostra ætate Materialistæ ideas nihil aliud esse dicunt nisi scintillas quasdam phosphoreas in cerebri massa motu quodam fibrillarum progenitas. Sed hæc nullius momenti sunt atque ex dictis contra Materialistas et Sensualistas jam sunt abunde refutata. Ad alia ergo systemata empirica veniamus.

a) Imprimis Lockius, baconianæ scholæ alumnus, originem idearum humanarum per *sensationem* et *reflexionem* explicare aggressus est. Juxta illum enim sensatione notiones rerum sensibilibus adquirimus; intenta autem sensationis meditatione, quæ reflexio quædam est, notiones has perpolimus et

novas alias adquirimus, quibus objecta diversarum sensationum invicem comparamus et eorum relationes exprimimus.

b) Deinde Condillacus, Lockii empirismum perficere intendens, sensationem unam admisit, ex qua diversimode transformata et modificata omnes humanæ mentis ideas oriri dixit: unde ideas nostras nihil aliud esse docuit nisi *sensationes transformatas*. Porro, ut hoc ostenderet, intellectui nostro sex facultates vel potius functiones assignavit, *attentionem* scilicet, *comparationem*, *judicium*, *reflexionem*, *imaginationem* et *rationium*. Attentio juxta ipsum non est nisi quædam sensatio passiva, quæ præ aliis simul in animo existentibus vividius quoddam objectum exprimit et proinde speciali quodam modo mentem occupat; ut, cum quis plura simul objecta in campo videns ab aliquo illorum vividius percipitur. Deinde comparisonem in simultanea duarum attentionum existentia reposuit; judicium in attentione ad convenientiam vel discrepantiam objectorum per duas attentiones representatorum; reflexionem in attentione successiva ad objecta diversorum judiciorum; imaginationem in attentione ad objecta prius percepta; rationium denique in attentione ad convenientiam vel discrepantiam objectorum per diversa judicia expressorum. Quo facto, originem idearum rem omnium facillimam et simplicissimam esse dixit.

c) Denique Laromiguière, Condillacii sensismum mitigare conatus, activitatem aliquam animo concessit; ac præter passivam Condillacii sensationem, attentionem quamdam activam posuit, qua mens ad diversa sensationum objecta profundius consideranda et invicem comparanda se convertit: unde ad rei substantiam quod attinet, ad Lockii systema regressus est.

His positis, ut de singulis judicium feramus, sint sequentes propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Tum reflexio Lockii, tum etiam attentio activa Laromiguerii ineptæ omnino sunt ad originem idearum explicandam.

442.—*Prob. 1.^a p.*—1.^o Reflexio Lockii nullam prorsus ideam universalem generare potest: circa objecta enim sola sensationum versatur, quæ pure materialia sunt et concreta; ac proinde nihil aliud ex se facere valet, quam ut hæc objecta clarius cognitionibus quibusdam materialibus et concretis perspiciamus. Sed ideæ, de quarum origine agitur, sunt conceptus quidam universales. Ergo... 2.^o Reflexionem prædictam imparem prorsus esse ad idearum originem explicandam confirmat ipse modus quo Lockius ideas universales explicuit. Nam *a*) substantiam aggregatum quoddam qualitatum sensu perceptarum esse dixit; *b*) infiniti ideam ex finitorum aggregatione enasci putavit; *c*) causæ notionem in perceptione connexionis reposuit, quæ inter prius et posterius intercedit; *d*) ideas denique omnes universales ex sola rerum similium comparatione in mente oriri existimavit. Hæc autem omnia ineptissima sunt et jam abunde suis in locis sunt refutata. Ergo...

443.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Atentio activa Laromiguerii solo nomine differt a reflexione Lockii, ut cuique attente eam consideranti facile patere potest. Sed reflexio hæc inepta prorsus est ad originem idearum explicandam. Ergo... 2.^o Attentio prædicta circa sola objecta materialia et concreta versatur: ergo non nisi cognitiones concretas clariore quodam modo objecta repræsentantes gignere valet.

PROPOSITIO SECUNDA.

Sensationes Condillacii transformatæ reflexione et attentione prædictis longe ineptiores sunt ad propositum memoratum.

444.—*Demonst.*—Sensationes eæ, non solum exhibent objecta pure materialia et concreta, ut reflexio et attentio prædicta; sed præterea quid pure passivum sunt et ab objectis materialibus animæ impressum. Ergo multo minus ingenerare in animo poterunt ideas rerum vere universales, quam duæ functiones prædictæ. His adde, quod sensismo condillaciano homo in quamdam veluti machinam convertitur extrinsecus motam, et omni prorsus libertate destituitur: unde Condillacii systema non nisi Materialistis placere potest. Ergo...

Solvuntur difficultates.

445.—Obj. I. Intellectus humanus initio suæ existentiae se habet, ut ait Aristoteles, *tamquam tabula rasa, in qua nihil depictum apparet.* Sed hoc indicat illum in ordine ad acquisitionem idearum mere passive se habere, et ideas has ei ab objectis externis per sensus imprimi. Ergo ideæ nequeunt aliud esse quam species quædam sensationum.

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.*—Intellectus quidem initio suæ existentiae se habet tamquam tabula rasa in qua nihil est depictum; sed convenienter excitatus a sensibus ipse activitate sua depingit postea in hac tabula rerum imagines, cudendo sibi suas ideas universales.

446.—Obj. II. Ideæ nostræ sunt quædam imagines objectorum materialium, siquidem objectum proprium intellectus nostri illique proportionatum sunt

essentiæ in rebus materialibus existentes. Sed imagines ab ipsis exemplaribus procedere debent. Ergo intellectus non aliter influit in suarum idearum productionem, qua illas in se recipiendo; causa vero earum physica sunt sola corpora externa.

Resp. — *Dist. maj.* — Ideæ nostræ sunt quædam imagines objectorum materialium *intentionales et spirituales*, Conc.: *physicæ*, Neg. Deinde *dist. min.* Imagines *physicæ* ex ipsis objectis procedere debent, Trans.: *intentionales et spirituales*, subd. *tamquam a principio excitante et determinante*, Conc.: *tamquam a principio efficiente*, Neg. *Et sub datis distinctionibus nego consequentiam.* Ideæ nostræ non solum ab intellectu sed ab objectis etiam procedunt; siquidem, ut ait S. Augustinus, ab objecto et potentia notitia paritur. Sed objecta in earum productionem non influunt nisi intellectum excitando et determinando per phantasiam ad idealem eorum repræsentationem; idealis autem hæc repræsentatio a solo intellectu efficienter producitur per modum causæ principalis.

ARTICULUS II.

De systematibus idearum innatarum.

447.— Cum systematibus empiricis e regione pugnant systemata idearum innatarum, quæ varia sunt juxta diversa placita suorum auctorum. Plato, animas humanas spiritus esse judicans, qui ante præsentem vitam separati ab omni concretione corporea vixerunt, censuit eas ideis omnibus instructas in hunc mundum venire, quibus in vita anteacta ornatae erant. Hinc ideas rerum in præsentem vitam non adquiri a nobis existimavit, sed excitari tantum ope sensationum; quoniam ex una parte in anima quasi consopitæ jacent propter unionem ejus ad corpus, et ex altera mundus hic materialis per sensus perceptus imago quædam est mundi idealis per prædictas ideas repræsentati.



448.—Cartesius, essentiam animæ in actuali cogitatione reponens, ideas in tres classes divisit: quasdam enim *adventitias* posuit, quæ ope sensuum acquiruntur; alias *factitias*, quas mens sibi ex adventitiis discurrendo procludit; alias denique *innatas*, quæ animæ ratione essentiæ suæ in cogitatione actuali repositæ perenniter insunt.

449.—Cartesiani, magistri sui ductum sequentes, admitendas esse dicunt ideas quasdam mentibus omnium impressas; quas perceptione quadam habituali indesinenter anima percipit absque tamen hujus perceptionis conscientia, quæque ipsi modo sensibili præsentibus fiunt per voluntariam attentionem ad eas adhibitam. Tales sunt juxta hos auctores *idea Dei, ideæ primorum principiorum ad scientias et ad bonos mores spectantium, ideæ denique veri, boni, pulchri et honesti rerum.*

450.—Leibnitzius, cujus sententiam sequutus est Wolfius, suas monadas rerum mundanarum idealiter repræsentativas imaginatus, eas in tres classes divisit; quarum primæ in inferiore entium gradu constitutæ et *atomi* dictæ Mundum obscura quadam cognitione; secundæ autem, quales sunt animæ belluinæ, clara quidem sed tamen confusa; tertiæ denique, seu animæ humanæ, initio confusa sed postea magis ac magis distincta naturaliter sibi repræsentarent. Unde ideas innatas in anima humana posuit, per quas substantia hæc ab initio suæ existentiae mundum integrum cum omnibus suis partibus sub quadam confusione sibi repræsentaret successivæ evolutionis capaci.

451.—Kantius duplex elementum in intellectuali cognitione distinxit, unum particulare et contingens, universale et necessarium alterum. Primum ex experientia oriri docuit, *materiamque* cogitationum nuncupavit; secundum vero ex ipso mentis humanæ fundo emergere existimavit et *formam* cogitationum vocavit: unde formæ hujusmodi universales, si non omnes, saltem eæ, quæ discursivæ non sunt, ut innatæ haberi debent. Porro formas has Kantius in tres classes distribuit; quarum primam ad objecta sensuum concreta, secundam vero ad objecta intellectus abstracta, tertiam denique ad objecta rationis idealia relationem dicere dixit. In prima classe *spatium* et *tempus* reposuit, quæ *formas sensualitatis* appellavit. Sub

secunda formas seu conceptus intellectus inclusit, quos *categorias* vocavit, quique numerum duodenarium eo ordine faciunt, ut in singulis quatuor fundamentalibus tres implicite contineantur. Scilicet formæ intellectus fundamentales juxta ipsum sunt *quantitas*, *qualitas*, *relatio* et *modalitas*: quantitas autem continet in se *categorias unitatis*, *pluralitatis* et *totalitatis*; qualitas exhibet *categorias realitatis*, *negationis* et *limitationis*; sub relatione sunt *categoria substantiæ*, *causalitatis* et *simultaneitatis*; denique sub modalitate sunt *categoria possibilitatis*, *existentiæ* et *necessitatis*. Tandem sub tertia formas seu idealia rationis collocavit; per quas multipliciter conceptuum ad unitatem rationis reduxit, sicut multipliciter sensationum per *categorias* sub unitate intellectus constituebat. Has formas seu idealia rationis tres esse dixit, *ideam nempe absoluti subjecti*, *ideam absolutæ causæ* et *ideam absolutæ totalitatis*; easque rationem, tamquam discurrendi facultatem, sibi efformare docuit ex conceptibus intellectus vi principiorum *inhærentiæ*, *causalitatis* et *communicationis* seu mutuæ dependentiæ. Intra has triplicis classis formas totam humanarum cognitionum multitudinem conclusit: quæ, juxta Kantium, nihil objectivum atque extra nos positum sed quid mere logicum repræsentant; cum spatium et tempus, *categoria omnes*, ipsæque rationis *ideæ formæ quædam* sint pure subjectivæ nullam connexionem cum rebus mundi externi habentes.

452.—Denique Rosminius ideas quidem innatas a Kantio inductas rejecit, quia eas a mente humana efformari posse putavit; unam tamen *entis possibilis* retinuit, quia eam conditionem præviam esse ad omnem actum intellectus ac proinde quolibet illius actu anteriorem existimavit. Scilicet Rosminius, Kantii vestigia premens, primum intellectus actum judicium quoddam posuit, quo intellectus de re quavis sibi per sensum exhibita existentiam affirmat: atque exinde, quia nullum judicium mens sine prævia *entis* idea pronuntiare valet, ideam hanc innatam esse conclusit. Hac idea supposita, ceteras alias a mente facile posse efformari docuit: quia, pronuntiata existentia circa rem quamlibet per sensum oblatam, potest *ope abstractionis* illam conceptu quodam abstracto et ab existen-

tia præciso cogitare, et *ope universalizationis* ideam illi et omnibus ejusdem speciei communem sibi cudere.

His præmissis, jam ad ferendum de omnibus iis systematibus judicium veniamus: quod quidem hac una propositione perficiemus.

PROPOSITIO.

Ideæ innatæ, quocumque titulo tales dicantur, omnes rejici debent.

453. — *Demonst.* — 1.^o *Argumento generali.* Nam: a) Ideæ innatæ rejici debent, si mens nostra virtute sufficiente instruitur ad illas sibi cudendas: si enim mens hanc in se virtutem habet, non est philosophicum ad aliquam causam extrinsecam recurrere. Sed mens humana hanc in se virtutem habet, ut infra ostendetur. Ergo... b) Si mens ideis innatis gauderet, in usu illarum a sensibus minime penderet; siquidem tales ideæ, sicut natura sua sunt independentes a sensibus in existendo, ita etiam tales essent in operando seu in actuando intellectum et illum cognitione informando. Sed nihil hujusmodi experimur, imo experientia nobis contrarium testatur: unde illi, qui a nativitate cæci sunt, colorum ideam nullam habent. Ergo...

Demonst. 2.^o *argumentis specialibus singula systemata respicientibus.* Nam:

a) Platonis placita circa ideas innatas in falsa sua metempsychosi fundantur, quæ nullo modo admitti potest et superius a nobis fuit rejecta.

b) Cartesii sententia animæ essentiam in actuali cogitatione constituens falsa prorsus est, cum solius Dei proprium sit actionem sibi essentialem habere; et supra jam fuit a nobis abundantissime refutata.

c) Cartesianorum ideæ ponuntur a suis auctoribus tamquam objecta cognitionum nostrarum; ut proinde nos, juxta

ipsos, res cognoscamus, non in se ipsis, sed in suis ideis. Atqui idea, ut ex supra demonstratis constat (160), non est id quod intelligitur, sed id quo res in se ipsis immediate cognoscimus. Ergo... Præterea auctores ii dicunt nos perpetuo et indesinentur has ideas intueri, et tamen hujus intuitionis conscientiam non habere. Hoc autem est rem gratis omnino fingere et illos antiquos philosophos imitari, qui dicebant nos magnum strepitum cælorum sine interruptione audire sed propter assuetudinem hujus facti psychologici conscientiam non habere. Ergo...

d) Leibnitzii monades innata cognitione instructæ inter pura figmenta computari debent, ut in *Cosmologia* ostendimus (C. 337). Præterea leibnitziana hypothesis ad materialismum recta ducit. Si enim principia corporum monades quædam sunt partibus carentes et cognitione præditæ, a spiritibus substantialiter non distinguuntur et per evolutionem suarum virium successivam ad perfectionem animæ humanæ pervenire poterunt: quod quidem nihilo differt a doctrina Hæckelii et aliorum materialistarum vires vitales et cognoscitivas cum motricibus et materialibus turpiter confundentium. Ergo...

e) Kantii systema idealisticum plane atque scepticum est; omnemque scientiam pessumdat, ut in *Logica* ostensum est. Præterea omni prorsus fundamento caret: nam ex eo quod ideæ universales ab objectis materialibus physice in intellectu nostro non producantur, minime sequitur objecta hæc nullum influxum in earum productionem exercere mentemque nostram eas ex fundo suæ substantiæ instinctu quodam cæco quasi ad se ipsam perpetuo illudendam educere. Denique formæ kantianæ non explicant modum quo efformantur in nobis conceptus universales, ad quod tamen a suo auctore inductæ sunt. Nam, ut optime argumentatur Rothenflue, «suppositis istis formis, quis semper rogaret et rogare jure posset quare nunc sub istis, nunc sub illis formis concipiat: quare v. gr. turrim aliquam, quamdiu eam videt, necessario ut extra se videat, dolorem autem aliquem intra se percipiat; quare huic objecto contingentem, alteri vero necessariam existentiam tribuat; hæc ut unum, illud ut plura concipiat, et hujusmodi alia (1).» Ergo...

(1) Rothenflue, *Psychol. ration.* n. 87.

f) Rosmini denique systema multiplici ex capite rejici debet. Nam *in primis*, si sensatio potest mentem determinare ad efformandas ideas corporeitatis, vitæ et subsistentiæ, etc.; pari ratione determinare poterit ad producendam ideam entis; cum sensatio non minus contineat in se rationem entis quam aliam quamcumque. *Deinde*, ratio entis propter suam maximam in-determinationem est prima nota, quam in rebus cognitione sua abstractiva intellectus percipit, dicente S. Thoma: «In his autem, quæ in apprehensionem hominum cadunt, quidam ordo invenitur. Nam illud, quod primo cadit in apprehensionem, est ens, cujus intellectus includitur in omnibus, quæcumque quis apprehendit (1)». Unde tantum abest ut idea entis innata sit, ut e contra prima ex efformatis per intellectus abstractionem dici debeat. *Præterea*, falsum prorsus est fundamentum, supra quod totum systematis sui ædificium Rosminius construit, dicendo primum intellectus actum esse judicium quoddam: contrarium enim supra contra Reidianos et Cousinianos ostensum est (169). *Denique*, rosminianum systema judicia synthetica a priori Kantii et instinctiva Reidii restaurat. Rosminius enim ponit ex una parte ideam entis innatam et ex fundo ipso intellectus emergentem; atque ex altera dicit sensationes non esse objectorum perceptiones, sed meras subjecti affectiones. Jam vero ex his duobus elementis *pure subjectivis* non potest determinari intellectus ad efformanda judicia *objectiva* nisi mere a priori et instinctive, sicut Kantius et Reidius docuerunt. Ergo...

Solvuntur difficultates.

454.—Obj. I. Omnes homines, ante quam aliquid discant, veritatem cognoscunt; siquidem de rebus apte interrogati recte respondent. Ergo notiones rerum eis innatæ insunt.

Resp.—*Dist. ant.*—Veritatem cognoscunt *dispositive et appetitudinaliter*, Conc.; *actualiter aut habitualiter*, subd.; *si agatur de primis principiis, quæ omnes sponte naturæ initio ipso usus rationis apprehendunt*, Conc.: *si sermo fiat de aliis veritatibus in primis principiis contentis*, Neg. Ad rem D. Tho-

(1) S. Thom.. *Summ. Theol.* 1. 2. q. 94, art. 2.

mas: «Ordinata interrogatio procedit ex principiis communibus per se notis ad propria. Per talem autem processum scientia causatur in anima addiscentis. Unde cum verum respondet de his, de quibus secundo interrogatur, hoc non est quia prius ea noverit, sed quia tunc ea de novo addiscit. Nihil enim refert utrum ille, qui docet, proponendo vel interrogando procedat de principiis communibus ad conclusiones. Utrobique enim animus audientis certificatur de posterioribus per priora (1).»

455.—Obj. II. Omnes homines naturaliter appetunt felicitatem. Sed quod naturale est, cum ipsa natura nascitur. Ergo omnes homines innatum felicitatis appetitum habent. *Subs.* Atqui appetitus per cognitionem dirigitur. Ergo omnibus hominibus innata est idea felicitatis.

Resp.—*Dist. maj.*—Omnes homines naturaliter appetunt felicitatem *appetitu innato*, Conc, *elicitio*, Neg. *Et contrad. min. neg. cons.* Hinc ad min. *subs. Dist. assert.*; Appetitus *elicitus* per cognitionem dirigitur; Conc.: *innatus*, Neg. Appetitus innatus non nisi metaphorice appetitus est, ut ex supra dictis constat (216): unde non indiget per cognitionem regulari. Porro quis credat infantes recens natos felicitatem actu cognoscere? Et tamen etiam tunc appetitu innato felicitatem desiderant.

456.—Obj. III. Saltem idea entis ut vere innata agnosci debet, est enim conditio prævia ad omnem actum intellectus, ac proinde per nullum actum intellectus produci potest. Ergo...

Resp.—*Neg. ant. cum ejus probatione.* Idea enim entis ope abstractionis ab intellectu efformatur, sicut ceteræ omnes ideæ universales.

Inst. Atqui idea entis ope abstractionis efformari nequit. Nam abstractio nihil aliud est nisi separatio mentalis notarum communium seu universalium a propriis alicujus conceptus; ac proinde supponit jam adquisitam notionem illam universalem, quæ a particulari separatur. Ergo...

Resp.—*Neg. min. subs.*—Ad ejus probat. *Dist. assert.*: Abstractio *voluntaria* est separatio mentalis prædicta, Conc. *spontanea*, Neg. Duplex est abstractio; una voluntaria, et spon-

(1) S. Thom., *Summ. Theol.* 1. p. q. 84, art. 3, ad 3.^{um}

tanea altera. Voluntaria supponit quidem cognitionem aliquam universalem, saltem directam, ut inter notas communes et proprias alicujus conceptus distinguere possit. Aliter vero se habet spontanea, quæ sine ullo actu voluntatis sponte naturæ efficitur ab intellectu: hic enim, quotiescumque res aliqua ei per phantasiam exhibetur, sponte naturæ ejus quidditatem conceptu abstractivo apprehendit, eo quod hic est naturalis modus ejus cognoscendi.

457.—Obj. IV. Systema idearum innatarum hoc saltem pacto admitti potest, quatenus nempe anima se quidem per suam essentiam cognoscat, ad cognitionem autem rerum mundarum per intermedium sensationis deveniat. Hac enim ratione jam non transibit humanus intellectus ex pura potentia ad actum, sed ex uno actu ad alium, ut convenit omni virtuti operativæ. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Supra enim ostensum est talem modum se cognoscendi per suam essentiam animæ nostræ minime competere, dum corpori conjuncta manet (208). Nec vero commodum, quod in objectione tangitur, alicujus momenti est. Intellectus enim humanus non est potentia pure passiva sed vere activa: unde quando in actu primo proximo ad agendum constituitur, vere transit ex uno actu ad alium et non ex simplici potentia ad actum, licet de prima ejus actione sermo fiat.

ARTICULUS III.

De systematibus Philosophiæ Transcendentalis.

458.—Philosophiæ Transcendentalis fautores humanarum cognitionum originem omnino a priori explicare conantes, idealismum quemdam transcendentalem et supra omnem experientiam positum induxerunt, qui magno scientiæ apparatu et non minore obscuritate ab eis propositus est. Principio Kantius, ut in superiore articulo diximus, omnes intellectus cognitiones ex suis formis pure subjectivis derivare aggressus est. Sed quoniam duplex elementum in quavis cognitione agnoverat, unum experimentale et a posteriori, alterum vero transcendentale et a priori; reformandum Kantii systema cogitavit Fichteus fun-

datione alterius, in quo omnia prorsus transcendentalia forent.

459.—Hunc in finem docuit Fichteus, non solum notiones universales, sed ipsas etiam intuitiones sensibiles esse cogitationes puras omni objecto reali vacuas. Quod ut aliqua ratione declararet, dixit principium tam intuitionum sensibilibum quam notionum universalium esse subjectum cogitans absolutum et supra omnem experientiam existens; quod libertate omnimoda se sub diversis formis relativis cogitando ponit, quodque *Ego purum* appellari debet. Formæ hæ relativæ, juxta Fichteum, sunt: a) subjecta cogitantia experimentalia et phænomenica, quæ *homines* vccantur; b) objectum his subjectis contrapositum, quod *Mundus* dicitur; c) denique causa hominum et Mundi, quæ *Deus* nuncupatur. Unde concludit tam subjecta omnia cogitantia experimentalia cum suis notionibus universalibus et intuitionibus sensibilibus, quam Mundum et ipsum Deum esse cogitationes pure logicas subjecti cogitantis transcendentalis, seu τῶν *Ego puri*, quod liberrima activitate sua eas cudit ac creat.

460.—Sed enim, sicut Fichteus Kantianum, ita Schellingius fichteanum systema reformatione indigere existimavit. Dixit enim inepte positum a Fichteo fuisse primum scientiæ principium in subjecto cogitante, cum subjectum sit in se quid relativum contrapositum objecto; sed constituendum in *Absolute*, quod quidem *identitas absoluta* est subjecti et objecti, cogitationis et cogitati, materiæ et spiritus, ac fons simul omnis diversitatis existit. Absolutum hoc, juxta Schellingium, duabus ubique formis vestitum apparet, *realitatis* scilicet et *idealitatis*, diversimode tamen invicem permixtis. Porro in mundo corporeo forma realitatis est *materia ponderosa*, forma autem idealitatis est *lumen*: hinc ubi prævalet gravitas, Absolutum formam induit *extensionis staticæ*; ubi autem prævalet lumen, Absolutum apparet sub forma *motus et energiæ*; ubi denique gravitas et lumen in æquilibrio sunt, Absolutum formam assumit *organismi corporei*. In mundo autem spirituali forma realitatis est *activitas necessaria*, forma autem idealitatis est *activitas libera*: unde prævalente necessitate, Absolutum formam induit *scientiæ et veritatis*; prævalente libertate, Absolutum formam exhibet *moralitatis et religionis*; necessitate

denique et libertate in equilibrio positus, Absolutum apparet sub forma *artis et pulchritudinis*.

461.—Schellingium sequutus est Hegel, qui idealismum Fichtei subjectivum cum objectivo Schellingii amice copulare aggressus est. Hinc systema adornavit, in quo cum Fichteo asserit nihil nisi puram cogitationem logicam admitti posse; cum Schellingio autem docet veram et proprie dictam realitatem in objectis esse. Hoc vero quomodo fieri queat, explicat dicens in idea objectum et subjectum identificari, atque unam eandemque rem esse; unde concludit agnoscendam esse *Ideam puram*, quæ *identitas sit absoluta contrariorum*, quæque processu suo logico *sub forma dialectica* sese evolvit, gradatim assumendo status extensionis, cogitationis et conscientis personalitatis in his rebus sensibilibus.

462.—Post Schellingium venit Krausius, qui systemata omnia philosophica in concordiam et harmoniam reducere tentavit. Hinc cum Scepticis initium negativum scientiæ posuit *dubitationem universalem*, positivum et analyticum *subjectum cogitans* omni cogitatione antierius, et directe in se ipso a nobis perceptum, positivum denique et syntheticum *Ens actualissimum*, quod *Essentia* est omnium essentialium, fundamentum et substratum cujuscumque rei fundatæ, atque identitas absoluta realitatis et cogitationis, subjecti et objecti, materiæ, spiritus et humanitatis, quodque directo intuitu in se absque velamine ullo a nobis apprehenditur. Hoc modo conjunxit Krausius in unum systemata omnia, scepticismum scilicet et dogmatismum, idealismum et ontologismum, dualismum denique et monismum: nam Mundum dixit non esse proprie ipsum Deum, sed aliquid Dei et in Deo receptum; ac proinde non pantheismum sed panentheismum esse admittendum: quæ de causa systema a se inventum *harmonismum* vocare non dubitavit.

463.—Tandem his omnibus systematibus adjungi potest illud, quod Transcendentalis Philosophiæ doctrinis imbutus adornavit Cousinus, Eclecticæ Scholæ fundator, quodque sequentibus continetur: a) Deus est non modo unitas, sed etiam varietas et relatio varietatis atque unitatis; itemque non solum infinitum, sed etiam finitum et relatio finiti atque infiniti: hæ

namque ideæ modi divini sunt, qui a Deo abesse nequeunt: b) Mundus et Homo inter phænomena seu Dei manifestationes collocandi sunt; siquidem una tantum existere potest substantia, cum substantiæ nomine aliquid absolutum et infinitum designemus, quod nihil realitatis ultra se supponit: c) denique humana ratio est ipsa ratio divina sese in singulis hominibus manifestans; quæ tamquam leges et ideas suæ cogitationis habet unitatem et varietatem, finitatem et infinitatem, atque utriusque relationem, ac juxta has leges omnes sibi cognitiones efformat (1).

Sed age jam de singulis his systematibus breviter judicium feramus.

PROPOSITIO.

Nec formalismus kantianus, nec subjectivismus fichteanus, nec identitas absoluta schellingiana, nec evolutio dialectica hegeliana, nec harmonismus krausianus, nec denique cousinianum systema quidquam prosunt ad originem idearum explicandam.

Prob. 1.^a p.—Patet ex demonstratis in articulo præcedente.

464. — *Prob. 2.^a p.*—Subjectivismus fichteanus: a) Purum putumque scepticismum prædicat, dicente ipso Fichteo: «Nulla est res, ego ipse non sum... Circa me realitas conversa est in inconditum somnium, quin vita ulla realis ad somniandum detur, aut spiritus qui somniet, aut somnium in quo somnium ipsum somniemus. Et sane ejusmodi somnium esset intuitio. Sed cogitatio, cogitatio ipsa! quam ego ut meam nobilissimam proprietatem considerabam, et tamquam scopum vitæ meæ, in quo fontem reperirem totius realitatis; cogitatio quoque hujus som-

(1) Cfr. P. Cuevas, *Hist. Philos.*, lib. 1. part. 2.^a dissert. 3.^a cap. 2, sect. 3.

nii est somnium (1).» *b*) Purum putumque continet pantheismum: siquidem, juxta Fichteum, res omnes nihil aliud in se sunt nisi *Ego purum* sub diversis formis pro sua libertate omnimoda manifestatum. Atqui hæc omnia absurdissima sunt et quovis homine cordato indigna. Ergo...

465.—*Prob. 3.^a p.*—Identitas absoluta schellingiana iisdem prorsus vitiis scatet, quibus subjectivismus fichteanus. Nam Schelling quoque, ut suam identitatem absolutam adstruat, docet: *a*) omnia quæcumque per experientiam, sive externam, sive internam nobis exhibentur, esse pure phænomenica et pro meris apparentiis esse a nobis habenda; *b*) quidquid veræ realitatis existit, esse ipsum Absolutum diversis modis manifestatum. Ergo...

466.—*Prob. 4.^a p.*—Evolutio dialectica hegeliana ipsissimis etiam scepticismi et pantheismi, tota quantæ est, erroribus manifestissime deturpatur. Nam Hegel etiam experientiam quamvis, sive internam, sive externam, nihili esse habendam dicit; et res omnes ut totidem momenta Ideæ suæ dialecticæ insanissime considerat. Ergo...

467.—*Prob. 5.^a p.*—Harmonismus denique krausianus iisdem prorsus, quibus cætera Philosophiæ Transcendentalis, vitiis turpissime inficitur. Nam Krausius: *a*) A scepticismo universali exordium philosophandi sumit; quod qui faciat, a scepticismi retibus liberari nullo unquam conatu poterit (L. 542). *b*) Mundum essentiasque omnes finitas in Deo tamquam aliquid ejus ac de ejus essentia, et tamquam in suo substrato seu fundamento ponit, ad eum mo-

(1) *Destination de l'homme de Fichte, traduit de l'allemand par Barchou de Penhoën. La science. Apud Liberatore Psycholog. cap. 4. De origine idearum, n. 130.*

dum quo cogitatio est in mente eam eliciente; quod purus putusque pantheismus est. c) Præterea hoc sibi proprium vindicat harmonismus, quod Krausius per eum intenderit omnia monstra in unum conjungere, ut ex illis monstrum omnium monstrorum monstruosissimum ineptissime efficeret. Nam quid sane ineptius dari potest quam velle amico fædere sociare scepticismum et dogmatismum, idealismum et realismum, dualismum denique et monismum? Hoc ergo systema non harmonismus sed *discordismus* vocari jure optimo potest.

468.—*Prob. 6.^a p.*—Cousinus, dum ait Mundum, hominem ac rationem humanam in se non esse nisi manifestationes quasdam unius ejusdemque divinæ substantiæ, quæ unice possibilis existit ac vere est in se ipsa rerum finitarum varietas et singulorum hominum ratio; et apertum scepticismum prædicat, et turpissimum pantheismum docet. Ergo...

ARTÍCULO IV.

De systematibus Traditionalium exterioristicis.

469.—Exteriorismus in eo totus reponitur, ut absoluta divinæ revelationis necessitas statuatur ad acquirendas rerum metaphysicarum, moralium et religiosarum cognitiones. Inter catholicos fundatorem habet comitem de Bonald; qui, ut jura divinæ revelationis tueretur adversus Rationalistas, solius rationis humanæ pronuntiata admittere volentes, necessitatem divinæ revelationis eo usque exaggeravit, ut ne minimam quidem cognitionem universalem sine ea menti nostræ permiserit. Hinc, quoniam divina revelatio primo homini facta per traditionem oralem in societate hominibus transmittitur, traditionem hanc censuit unicuique hominum esse absolute necessariam ad cogitandum; ita ut sine magisterio sociali individua

humana non magis elicere queant ullam cognitionem universalem quam bellua quævis intellectu destituta.

470.—Rigorem hunc aliquantum mitigavit clar. Bonetty, qui necessitatem prædictam ad solas veritates morales et religiosas tandem coarctavit. Imo P. Ventura eum ita temperavit, ut traditionem memoratam absolute necessariam esse dixerit ad hoc tantummodo, ut homo notiones Dei, spiritus et immortalitatis animæ, atque etiam claram distinctamque officiorum moralium cognitionem acquirere possit.

471.—Denique alii sub mitiore adhuc forma traditionalismum proponunt, dicentes mentem humanam habere quidem in se intrinsecam vim ad veritates sive metaphysici, sive morales, sive religiosi ordinis detegendas; sed ut de facto eas detegere valeat, et claram, distinctam ac certam illarum ac Dei cognitionem acquirere, magisterium sociale esse illi absolute necessarium per modum conditionis sine qua non possit ad expeditum rationis usum pervenire. Unde, secundum hos auctores, magisterium sociale non confert quidem rationi vim ullam cognitiones prædictas producendi, quemadmodum cæteri traditionalistæ dicebant; sed tamen est illi absolute necessarium per modum conditionis, ut mens expeditum rationis usum habere possit.

Hæ sunt formæ, sub quibus traditionalismus a suis fautoribus defenditur: sub omnibus tamen rejici debet, ut ex sequentibus propositionibus patebit.

PROPOSITIO PRIMA.

Absurdum est nullam veritatem posse ab humana mente cognosci nisi ope divinæ revelationis per traditionem transmissæ.

472.—*Demonst.*—I.° Nullus homo potest ab alio divinam revelationem accipere, nisi aliquam prius ideam sibi per suam privatam rationem efformaverit. Nam ut quis ab alio doceri possit, debet prius scire: a) se existere; b) existere alios qui eum instruere intendunt; c) instruentes signis quibusdam uti ad trans-

mittendas suas ideas aptis; d) hæc signa ad certas quasdam et determinatas ideas significandas applicata de facto ab instruente fuisse. Ni enim discens hæc omnia jam a se ipso per suam propriam rationem sciat, non magis ex docentis loquela proficiet, quam lapis aut asinus, qui omnis scientiæ incapaces existunt. Ergo... 2.^o Humanus sermo nullam proprie ideam in animo audientium gignit. Si enim loquentis verba audientes non intelligunt; nulla in eorum animis ex illius loquela generatur, ut perpetua testatur experientia. Si autem ea intelligunt; tunc verba occasionem quidem illis præbent recogitandi objectum, quod prius norant; ideam autem illius proprie in eorum animis non generant: nam verba is solus intelligit, qui scit quodnam objectum significant: nemo autem scire potest quodnam objectum significant, nisi qui jam cognitionem illius objecti in mente habet (1)». Ergo... 3.^o Absurdum est hominem

(1) «Quod si diligentius consideremus, scribit optime S. Augustinus in lib. *de Magistro* cap. 10, nn. 33-34, fortasse nihil invenies, quod per sua signa discatur. Cum enim mihi signum datur, si nescientem invenerit cuius rei signum sit, docere me nihil potest; si vero scientem, quid disco per signum? Non enim mihi rem, quam significat, ostendit verbum cum lego: *Et saraballæ eorum non sunt immutatae* (Dan. c. 3, v. 9). Nam si quædam capitum tegmina nuncupantur hoc nomine, num ego hoc audito aut quid sit caput, aut quid sint tegmina didici? Ante ista noveram, neque cum appellarentur ab aliis, sed cum a me viderentur, eorum est mihi facta notitia.... Itaque magis signum re cognita, quam signo dato ipsa res discitur. Quod ut aptius intelligas, finge nos primum nunc audire quod dicitur *caput*; et nescientes utrum vox ista sit tantummodo sonus, an aliquid etiam significans, quærere quid sit caput (memento nos, non rei quæ significatur, sed ipsius signi velle habere notitiam; qua caremus profecto, quamdiu cuius signum est, ignoramus): si ergo ista quærentibus res ipsa digito demonstretur, hac conspecta discimus signum, quod audieramus tantum, nondum noveramus. In quo tamen signo cum duo sint, sonus et signifi-

necessitate physica ad errorem a loquentibus trahi; hoc enim pugnat cum natura intellectus, qui solummodo a veritate sibi per evidentiam manifestata trahi potest. Sed si homo ad cogitandum societatis magisterio absolute indigeret, necessitate physica ad errorem traheretur: nam societas in transmittendis ideis per revelationem primitivam primo homini a Deo immis-
sis non est infallibilis, et potest pro vero tradere quod in se falsum est. Ergo... 4.^o Si homo magisterio prædicto ad cogitandum absolute indigeret, cæce omnino doctrinam a societate traditam acciperet: non enim discernere posset verum a falso nisi ope illius magisterii, cujus inerrantiam minime cognosceret. Sed absurdum est hominem tali modo in veritatis possessionem venire. Ergo... 5.^o Denique in prædicta hypothesis nullum datur essenziale discrimen inter veritates ordinis naturalis et supernaturalis, siquidem ad eas omnes cognoscendas necessitas divinæ revelationis est æque essentialis. Sed hoc est manifeste absurdum, et cum ipsa divina revelatione pugnat: hac enim de causa traditionalismum damnarunt Patres Concilii Vaticani in Constitutione *Dei Filius*. Ergo...

PROPOSITIO SECUNDA.

Falsum omnino est revelationem divinam traditione transmissam esse homini absolute necessariam, ut veritates ad ordinem moralem et religiosum spectantes cognoscere possit.

473.—*Demonst.*—1.^o Hæc thesis iisdem fere rationibus quibus præcedens ostenditur. Nam a) Ut possit quis veritates morales et religiosas doceri, debet jam aliquam earum ideam privata sua ratione partam in mente habere. Sine hac enim prævia idea non posset omnino significationem verborum intelligere, cum de rebus moralibus ac religiosis alios loquentes audiret. b). Supposita tali necessitate, imprimis homo veritates ordinis moralis ac religiosi cæce

catio, sonum certe non per signum percipimus, sed eo ipso aure pulsata, significationem; re, quæ significatur, adspecta».

omnino admitteret; deinde fieri posset ut in rebus moralibus et religiosis necessitate physica ad errorem traheretur; cum facile accidere queat, ut homo ab hominibus falsas doctrinas religiosas et morales pro veris habentibus suam primam instructionem accipiat; denique discrimen essenziale inter veritates religiosas et morales ordinis naturalis ac supernaturalis penitus tolleretur. Ergo...

2.º Adversarii, quibuscum hac in thesi pugnamus, admittunt mentem humanam sine auxilio revelationis per traditionem transmissæ posse acquirere multas ideas circa res physicas, mathematicas ac metaphysicas. Atqui his ideis instructa potest mens sine auxilio revelationis ex contemplatione creaturarum ascendere ad cognitionem supremi Numinis, quod eas divina sua virtute produxit. Sic enim mens perfecte scit, sicut non potest dari effectus sine causa, ita etiam non posse dari effectum ordinatissimum, qualis est mundus, sine aliqua causa sapientissima et potentissima, quæ eum produxerit ac conservat. Ergo... Hinc sapiente consilio definiverunt Patres Concilii Vaticani «Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine certo cognosci posse (1)». Quod quidem jam pridem inspiratus libri Sapientiæ auctor docuerat dicens: «Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex (2)».

PROPOSITIO TERTIA.

Falsum pariter est magisterium sociale esse conditionem absolute necessariam, ut homo expeditum, rationis usum atque ideas claras ac distinctas acquirere valeat.

474.—*Demonst.*—1.º Magisterium humanum signis quibusdam arbitrariis adhibitum nullam in mentem hominum ideam ingerere potest, nisi hi quasdam ideas in se habeant ratione

(1) Concil. Vatic. in Const. *Dei Filius*, Can. § II, can. I.

(2) Sapient, XIII, 1.

sua individuali efformatas, ut ex superius dictis patet. Atqui suppositis iis ideis in intellectu, jam mens humana paulatim per se sola vires suas explicare potest sub influxu objectorum unam ideam ex altera inferendo et sic ideas rerum claras et distinctas processu temporis acquirendo. Ergo... 2.^o Naturale et proximum incitamentum intellectus ad cogitandum de rebus sunt phantasmata imaginationis, non autem verba ab hominibus prolata: imaginatio enim per sua phantasmata exhibet intellectui suarum cogitationum materiam, eumque ad suas cogitationes determinat. Atqui imaginatio sine ulla etiam magisterii humani directione incitare intellectum potest ad suarum virium exercitium atque exinde ad ideas claras et distinctas quamplurimarum rerum comparandas: nam objectis externis per sensus in eam agentibus, ipsa quoque suo modo in intellectum agit atque ad sæpius cogitandas easdem res determinat. Ergo... 3.^o Eatenus magisterium externum foret conditio absolute necessaria ad hoc ut mens expeditum rationis usum ac per illum ideas claras accipiat, quatenus sine eo non posset homo reflexione utendo in suos actus reverti. Atqui sine externo magisterio possunt homines in suos actus reverti et sæpe etiam de facto revertuntur: ad reflexiones enim hujusmodi faciendas ipso naturæ instinctu feruntur, sive ut pericula imminentia præcaveant, sive ut media commodis quærendis inveniant. Ergo...

PROPOSITIO QUARTA.

*Vocabula nec ad cogitandum nec ad idearum
claritatem absolute necessaria sunt; maximam tamen ad
utrumque utilitatem conferunt.*

475.—*Prob. 1.^a p.—a)* Constat ex dictis: supra enim probavimus magisterium externum signis arbitrariis exercitum neque ad cogitandum simpliciter, neque ad claritatem idearum comparandam homini absolute necessarium esse; magisterium autem hujusmodi vocabulis aut aliis rebus æquivalentibus fit. Ergo... *b)* Ipsa etiam experientia nos docet ideas in mente nostra oriri ex simplici objectorum præsentia: unde sæpe ob-

jectum aliquod clare ac nitide cognoscimus, vocabulum autem ad illud cæteris significandum non invenimus.

476.—*Prob. 2.^a p.*—Intellectus ad cogitandum et ad res clare ac nitide concipiendas maxime juvatur claritate phantasmatum illas repræsentantium. Sed vocabula hanc phantasmatum claritatem quammaxime præbent: cum enim signa sint ad placitum, repræsentant objecta cum tota claritate a loquentibus intenta, et illa exhibent menti sub omnibus suis adspectibus, tum absolutis, tum relativis, quibus considerari possunt. Ergo...

Solvuntur difficultates.

477.—Obj. I. Lex naturæ hæc est, ut homo rationis usum obtineat ope alterius, qui rationem jam excultam habet. Ergo signum est, sine hoc auxilio hominem ad rationis usum non perventurum.

Resp.—*Dist. ant.*—Lex naturæ est, ut homo rationis usum non obtineat nisi alterius ope etc. *quoad aliquas ideas perfectiores et quoad modum faciliorem ac breviorum acquirendi omnes ideas, Conc.: quoad omnes prorsus ideas etiam imperfectiones, Neg. Et sub data distinctione neg. conseq.* Communicatio infantis cum aliis hominibus jam usum rationis adeptis facit, ut hi per signa naturalia, quæ ipsis cum infante communia sunt, infanti indicent signorum arbitrariorum sensum, ac deinde per hæc signa arbitraria celeriter suas ideas in eum transmittant. Sed ante quam infans signa illa arbitraria intelligat, jam debet habere in se aliquas ideas; secus enim sensum illorum signorum capere non posset.

478.—Obj. II. Experientia constat homines auxilio magisterii externi destitutos usu rationis carere. Sic in *Historia Societatis Jesu* (part. 5, lib. 18, n. 14) narratur factum triginta infantium, qui, sine ulla communicatione cum hominibus, jussu Acekebaris, mogolensis imperatoris, vitam ducentes, omnis linguæ usu caruerunt, et bestiis similes videbantur. Idem accidit surdo-mutis; qui donec per magisterium

externum edoceantur, omni prorsus rationis usu destituti jacent. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Experientia solummodo docet hujusmodi homines non assequi illam virium intellectualium evolutionem, quæ communis est pueris in societate enutritis, non autem illos omni prorsus idea universalis carere.—Nec adversariis favent exempla in objectione allata. Nam imprimis pueri illi, quamvis ideis vere universalibus instructi supponantur; non poterant non linguam omnem ignorare, cum nullus esset, a quo aliquam discerent; et bestiis similes videri, cum mediis ad sua sensa aliis significanda carerent. Deinde vero nihil mirum quod ideis universalibus destituti viderentur; cum juvenes adhuc forent, nec sufficiente tempore vixissent, ut eorum ratio vires suas explicaret. In homine namque seorsum ab aliis enutrito ratio non potest non tardius se evolvere; cum careat adminiculis externis, quæ ex consortio humano naturaliter oriuntur. Denique, quæ ad surdo-mutos spectant, Traditionalistis potius contraria sunt: constat enim jam homines hos ante quam per magisterium externum edoceantur, ideas aliquas habere; ac diu simul degentes signa quædam artificialia ex se ipsis invenire, ut sese intelligant.

479.—Obj. III. Intellectus humanus aliquo incitamento ad cogitandum eget. Atqui hoc est verbum loquentis ore prolatum; experientia enim constat nos verba interius cogitare, antequam cogitationes nostras exterius promamus. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.* Ad rat. addit. *Dist. assert.*: Experientia constat nos, antequam cogitationes nostras exterius promamus, verba interius cogitare, *quia phantasmata signorum naturaliter excitantur phantasmatabus rerum cogitatarum, quarum sunt signa*, *Conc.*: *quia verba sunt simpliciter necessaria ad cogitandum*, *Neg.* Excitator naturalis intellectus est phantasia, non autem verbum hominum externum. Quod si cogitationes nostras phantasmata verborum illas significantium ut plurimum comitantur; hoc ideo accidit, quia ideas

quamplures ope magisterii humani de facto adquirimus in societate viventes.

480.—Obj. IV. Si sermo humanus nullam ideam in mente audientium gignit, non videtur quomodo ad ideas acquirendas conferre valeat. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Cognita connexionione inter verba et res per ea significatas, quod quidem ope signorum naturalium obtinetur, repræsentatio imaginaria verborum secum naturaliter trahit repræsentationem pariter imaginariam rerum per verba significatarum et harum ipsarum rerum intellectualem cogitationem. Hinc vero fit, ut loquens ope verborum oriri faciat in mente audientis totam idearum seriem, quas ipse mente sua volvit: unde loquens, ope verborum per modum artis vires intellectuales audientis dirigens, facit ut hic ordinate sua propria activitate discurrat et ex una idea alteram ratiocinando inferat; quo quidem magnus cognitionum thesaurus ab eo acquiritur.

481.—SCHOLIUM.—Disputatur inter philosophos utrum homines naturalibus suis viribus relictis potuissent per se ipsos loquelam verbis articulatis prolatam invenire. Porro quæstio hæc nihil cum traditionalismo commune habet: quia, sive affirmative, sive negative resolvatur; semper verum est verba non esse simpliciter necessaria neque ad cogitandum neque ad ideas claras comparandas. Affirmative autem resolvenda videtur: quia primo ope signorum naturalium loquelam artificialem instituere potuissent vocabulis monosylabicis *onomatopœicis*, seu signis sonorum imitativis constantem: postea vero processu temporis ex his signis seminaturalibus ad alia magis artificialia adhibenda gradum facere facile valuissent: quo posito, jam rudimenta quædam loquelæ articulatae possiderent, quæ postea paulatim perficere possent. De facto tamen non ita factum est. Nam Deus primo homini loquelam dedit, ut hac ratione jam ab initio et Deum ipse perfecte cognoscere ac diligere, et filios generandos instruere posset.



ARTICULUS V.

De systematibus ontologicis.

482.—Malebranchius opinatus est intellectum humanum pro objecto directo et immediato habere ipsum Deum et archetypa rerum exemplaria, quæ in divina ejus mente relucent: unde conclusit Deum divinasque ideas immediate ac directe ab intellectu nostro videri, dum veritates legesque Dei æternas meditantibus contemplamur; eo quod et veritates nihil aliud sunt nisi divinarum idearum relationes, et leges æternæ in ordine essentiali divinarum idearum reponi debent. Res autem concretas et corporeas a nobis cognosci dixit ope sensationis a Deo in nobis efficienter productæ, quæ quidem ab intuitione divinarum idearum diversa est.

483.—Ontologismo novam formam tribuit Giobertius, duplicem cognitionis intellectualis speciem distinguens; unam directam, quam *intuitum* appellavit, alteram vero reflexam, cui *reflexionis* nomen dedit. Juxta illum, intuitus perennis in nobis est ab ipso nostræ existentiae initio; eoque immediate ac directe percipimus Deum in se ipso sub ratione Entis non quidem abstracta sed concreta, atque eum exhibente, (modo tamen obscuro et imperfecto), prout in se est et actu influit in creaturarum conservationem: unde objectum hujus intuitus est *Ens, seu Deus existentias creans*. Reflexio autem tunc solum existit, cum libere a quovis exercetur; ejus autem munus est intuitum, qui natura sua indeterminatus est et quaquaversum diffusus, quasi contrahere et limitibus circumscribere. Idcirco reflexione percipimus quidem Ens seu Deum, sed sub formis quibusdam limitatis *potentiæ, pulchritudinis, substantiæ, spiritus, humanitatis, animalitatis*, etc.; quia omnes essentiali metaphysicæ per reflexionem a nobis conceptæ nihil aliud sunt nisi ipsum Ens seu Deus sub formis quibusdam limitatis in cognitione exhibitus. Notat autem Gioberti contractionem hanc et circumscriptionem intuitus fieri per reflexionem non posse nisi ope vocabulorum, quæ illas limitationes causent: unde concludit cum Traditionalistis absolute necessarium esse sermonem ad

cogitandum seu ad efformandos conceptus universales, quibus Ens seu Deum sub ratione diversarum essentialium nobis repræsentemus.

484.—Alii denique, ut P. Rothenflue (1), ontologismum sub alia forma duabus præcedentibus mitiore proponunt. Dicunt enim Deum sub idea vel forma objectiva τὸν *esse simpliciter*, seu Entis, immediate a ratione nostra percipi; adduntque ideas veri, pulchri et honesti, justi et boni, et omnium perfectionum simplicium non esse nisi ideam τὸν *esse simpliciter* sub diverso tantum respectu consideratam. Non autem admittunt actum creativum aut rerum finitarum essentialias in Deo ab intellectu nostro videri; sed illum percipi a nobis docent ope discursus, has vero per mentis abstractionem. Essentialiam tamen ontologismi retinent, ut patet.

Quotquot ontologismo adhærent, eum sub una ex his tribus formis tuentur. Verum quomodocumque excogitetur, semper in sua essentialia falsus imo et periculosus dici debet, ut ostendent sequentes propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Falsum est Deum in hac vita immediate ac directe ab intellectu nostro videri.

485.—*Demonst.*—I.º Si visio Dei immediata ac directa intellectui nostro inesset, illius conscientiam haberemus: perpetuo enim et constanter Deum visum nobis repræsentaret; ac proinde non possemus non factum hujus visionis percipere, præsertim quando de ejus existentia moneremur. Atqui hujus visionis conscientiam nemo habet; imo et quantumvis inquiramus,

(1) «Unica idea, ait in *Psychol. ration.* n. 88, nempe idea τὸν *esse simpliciter* immediate a ratione percipitur». Et infra n. 93 scribit: «Deus implicite per ideam τὸν *esse simpliciter* immediate a ratione perceptus, est norma primæva omnis cognitionis objectivæ.

eam in nobismetipsis invenire non possumus. Ergo... 2.º Non solum deberemus sine interruptione sentire hujusmodi visionem, si in nobis esset; sed præterea hæc visio deberet se nobis monstrare vividitate maxima: tum quia intime præsens foret et intuitive a nobis perspiceretur; tum etiam quia, ut dicunt Ontologi, ita est intellectui nostro essentialis, ut sine ea nihil cognoscere possit, eo quod sit ipsum lumen intellectuale. Atqui contrarium prorsus accidit, ut propria uniuscujusque conscientia testatur. Ergo... 3.º In prædicta hypothesis non solum Deus sed intrinseca ejus essentia ab intellectu nostro in se ipsa cognosceretur; visio enim illa, utpote directa et immediata, ac proinde per ipsum Deum in ratione objecti producta, esset cognitio Dei intuitiva et quidditativa (L. 38-39). Atqui hoc, ipsis Ontologis fatentibus, minime contingit. Ergo...

PROPOSITIO SECUNDA.

Falsum pariter est intellectum nostrum essentias rerum in ideis Dei exemplaribus videre.

486.—*Demonst.*—1.º Intellectus noster nequit rerum essentias in divinis exemplaribus videre, quin ipsa exemplaria directe atque immediate intueatur. Sed falsum est hæc exemplaria ab ipso videri. Nam hæc non sunt nisi ipsa divina Essentia cum divino intellectu realiter identificata et rationem imitabilitatis præ se ferens; essentia autem Dei ab intellectu nostro in hac vita immediate ac directe non cognoscitur. Ergo... 2.º In prædicta hypothesis intellectus noster, non quomodo-cumque, sed clare ac perfecte essentias rerum cognosceret: siquidem eas videret prout in divinis exemplaribus relucent, ubi perfectius sunt quam in se ipsis. Unde cognitio rerum in Essentia divina *matutina* vocatur a Doctoribus cum S. Augustino, cognitio autem earumdem rerum in se ipsis *decoloratio et vespertina* (1). Sed cognitio essentiarum, quam in hac vita habemus, imperfecta prorsus est ac vere vespertina. Ergo...

(1) S. August. *De genesi ad litteram*, lib. 4, cap. 32.

PROPOSITIO TERTIA.

Falsissimum est intellectum nostrum videre in Deo actum ejus creativum et universas res mundanas ab eo procedentes.

487.—*Demonst.*—Actus Dei creativus, prout in Deo consideratur, non est nisi divinæ voluntatis actus, quo ab æterno Deus decrevit Mundum facere et in accepta existentia conservare. Sed falsissimum est intellectum nostrum videre immediate ac directe in se ipsis divinæ voluntatis actus. Hos enim ne ipsi quidem Beati divinam Essentiam clarissime intuentes cernere possunt nisi ad placitum ipsius Dei; cum ad forum, ut ita dicam, divinorum secretorum pertineant. Ergo falsissimum est intellectum nostrum videre in Deo actum ejus creativum et universas res creatas ab illo procedentes.

PROPOSITIO QUARTA.

Ontologismus sub quacumque forma inspectus falsus ac periculosus est.

488.—*Prob. 1.^a p.*—Ontologismus sub quacumque forma propositus semper retinere debet in se doctrinam suam fundamentalem, qua dicat Deum immediate ac directe ab intellectu nostro in hac vita naturaliter videri. Atqui hoc multiplici ratione falsum ostenditur. Ergo... *Prob. min. 1.^o* Visio hæc, quæcumque fingatur, non posset non ab animo nostro sentiri; cum intime et sine ulla interruptione ei præsens foret, ut supra dicebamus: quod tamen non accidit. *2.^o* Si intellectus noster naturaliter videret in

hac vita immediate ac directe Deum, etiam sub Entis forma propositum, objectum ejus proportionatum foret intelligibile purum; siquidem Deus in se ipso sub omni forma quid pure intelligibile est. Atqui contrarium constat ex his quæ supra dicta sunt circa objectum proprium intellectus. Ergo... 3.º In prædicta hypothesis visio beatifica non essentialiter sed mere accidentaliter et solis gradibus intensitatis ab actuali hac nostra differret; siquidem ambæ intuitive ac quidditative Deum attingerent. Sed hoc minime admitti potest, quia ordinem supernaturalem evertit et cum naturali confundit. Ergo...

489.—*Prob. 2.^a p.*—1.º Ontologismus, etiam sub mitissima forma propositus, ordinem supernaturalem tollit, ut nuper ostensum est. Sed quod hoc facit, non potest non esse periculosum; quoniam dogmata nostræ Religionis impetit. Ergo... 2.º Ontologismus, etiam mitissimus, rationilismo latam januam aperit. Illo enim admissio, assignari jam nequeunt limites rationi nostræ a natura constituti; sed major vel minor claritas in cognoscenda Dei natura et in penetrandis arcanis, quæ sinu suo hæc altissima natura continet, tota pendebit ex sola Dei voluntate: quod quidem fundamentum Rationalistis præbet ad dicendum nullam veritatem esse rationi humanæ naturaliter imperviam. Sed hoc manifeste periculosum est; siquidem ad totius Religionis christianæ eversionem natura sua tendit. Ergo... 3.º Denique ontologismus, etiam mitissimus, ad pantheismum recta ducit. Nam ideas veri, puchri et honesti, justi et boni, et omnium perfectionum simplicium nihil aliud esse dicit nisi ipsum esse *simpliciter*, seu Deum, sub diverso tantum respectu consideratum: omnes autem has ideas universi homines, et quidem optimo jure, prædicant de ipsis rebus concretis, dicendo: *Petrus est justus, Joan-*

nes est honestus, Franciscus est pulcher, etc.: unde singulæ res finitæ cum ipso Dei esse realiter identificarentur, quod sine pantheismi nota minime asseri potest.

490. — Hinc perspicies quam sapienter Sanctæ Romanæ et Universalis Inquisitionis Congregatio die 18 Septembris anni 1861 decreverit tuto tradi non posse sequentes propositiones ad Ontologismum spectantes:

Prop. — 1.^a Immediata Dei cognitio, habitualis saltem, intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere possit: siquidem est ipsum lumen intellectuale.

» 2.^a Esse illud, quod in omnibus et sine quo nihil intelligimus, est esse divinum.

» 3.^a Universalia, a parte rei considerata, a Deo realiter non distinguuntur.

» 4.^a Congenita Dei, tamquam entis simpliciter, notitia omnem aliam cognitionem eminenti modo involvit; ut per eam omne ens, sub quocumque respectu cognoscibile est, implicite cognitum habeamus.

» 5.^a Omnes aliæ ideæ non sunt nisi modificationes ideæ, qua Deus tamquam ens simpliciter intelligitur.

» 6.^a Res creatæ sunt in Deo tamquam pars in toto, non quidem in toto formali, sed in toto infinito, simplicissimo, quod suas quasi partes abque ulla sui divisione et diminutione extra se ponit.

» 7.^a Creatio sic explicari potest: Deus ipso actu speciali, quo se intelligit et vult tamquam distinctum a determinata creatura, homine, v. gr., creaturam producit.

Solvuntur difficultates.

491. — Obj. I. Deus, utpote ens infinitum, per nullam ideam finitam cognosci potest: nam infinitum per finitum repræsentari nequit. Sed quælibet idea

creaturarum est finita. Ergo Deus solummodo per semetipsum potest a nobis cognosci.

Resp.—Deus per nullam ideam, *tamquam medium in quo*, cognosci potest, Trans.: per nullam ideam, *tamquam medium quo*, Neg. *Et concessa minore, nego conseq. sub dist. data*. Nulla creatura potest esse similitudo Dei objectiva, quæ visione sui nos ducat ad visionem ipsius Dei, quia nulla forma finita repræsentare perfecte valet essentiam Dei infinitam (1). Proinde Deus per nullam ideam, *tamquam medium in quo*, seu per modum objecti propositam, potest ab intellectu creato videri. Idea autem qua cognoscimus Deum per creaturas, non est *medium in quo*, sed simpliciter *quo*: idea enim hæc non est objectum, cujus cognitione ad Dei notitiam veniamus, sed simpliciter actus cognoscitivus, quo intellectus ad Deum *tamquam ad objectum cognitum* refertur.

492.—Obj. II. Cognitio creaturarum supponit jam cognitionem Dei. Nam: 1.º Creatura nequit cognosci ut talis, nisi prius cognoscatur Ens, ut ens. Sed Ens, ut sic, est Infinitum seu Deus. Ergo... 2.º Gradus entium cognosci nequeunt nisi per comparisonem cum ente summo. Ens autem summum est Infinitum seu Deus. Ergo perfectiones diversæ creaturarum cognosci a nobis non possunt nisi per comparationem cum Dei perfectione, quæ debet jam in antecessum nobis esse nota. 3.º Creatura omnis est ens contingens. Ens autem contingens cogitari nequit nisi necessarium quoque, seu Deus, simul cogitetur. Ergo per creaturas non possumus in Dei cognitionem venire, sed Dei cognitio debet in nobis esse directa et immediata.

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. 1.^{am} *Dist. maj.* Creatura nequit cognosci, ut talis, nisi prius cognoscatur

(1) Cfr. S. Thom., *Summ. Theol.* 1. p. q. 12, art.

Ens ontologicum, *potentiale scilicet et negative infinitum*, Conc: *theologicum seu actualissimum et positive illimitatum*, Neg. *Et contradist. min., nego conseq.*

Ad rat. 2.^{am}—*Neg. assert.* Ad cognoscendum gradus entium sufficit ideam *generalem* perfectionis habere, et unum cum altero comparare: sic enim statim videbit mens *in linea perfectionis* unum ab altero superari, aut utrumque æquale esse, quin necesse habeat prius videre ens aliquod concretum omnibus aliis possibilibus perfectius.

Ad rat. 3.^{am}—*Conc. maj. et neg. min.* Cognitio entis contingentis fert quidem secum modo indirecto et implicito ideam *alicujus* entis necessarii. Sed ad cognoscendum Deum novus quidam discursus rationis requiritur; nam Deus non est *quodlibet* ens necessarium, sed ens *absolute* necessarium. Ergo in cognitione entis contingentis non nisi virtualiter involvitur cognitio Dei.

493.—Obj. III. Ut per ratiocinium cognosci Deus ex creaturis possit, debent prius in mente haberi *notiones entis, veri et pulchri, justi et honesti*, atque aliarum perfectionum simplicium. Atqui objectum harum notionum non est nisi Deus sub diverso respectu consideratus: est enim quid universale, necessarium et æternum; hæ autem proprietates soli Deo competere possunt. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.* Ad rat. addit. *Dist. maj.* Objectum notionum *entis, veri, pulchri, etc.* est quid universale *potentiale et actuabile*, item quid *hypothetice* necessarium et *negative* æternum, Conc.: est quid universale *actualissimum*, item quid *absolute* necessarium et *positive* æternum, Neg. *Et contradist. nim, neg. conseq.* Esse verum, pulchrum et honestum rerum toto cœlo distat ab esse Dei: hoc enim est actualissimum, simplicissimum et omnis compositionis expers; illud vero est *potentiale* et in rebus non existens nisi per additionem differentiarum, quibus ad singulas species contrahitur, ut in Ontologia dictum est (O. 75).

494.—Obj. IV. Universalia non sunt quid creatum: omne enim creatum est singulare et participatum, universalia autem sunt quid universale et participabile. Atqui tamen sunt aliquid reale. Ergo sunt ipsæ ideæ Dei archetypæ, seu ipse Deus quatenus tali modo participabilis.

Resp.—*Neg. maj.*—Ad rationem vero in ejus probationem adductam *respondeo distinguendo in hunc modum secundam assertionis partem*: Universalia sunt quid universale et participabile, *prout existunt in intellectu*, Conc.: *prout existunt a parte rei*, subd.: sunt quid universale et participabile *fundamentaliter*, conc.: *formaliter*, neg. Universale, quatenus tale, non existit nisi in intellectu: naturæ autem quæ dicuntur universales, sunt quidem in rebus; sed quatenus singulares et fundamentaliter tantum universales, ut in Ontologia ostensum est (O. 165-169).

499.—Obj. V. Anima nequit producere suas ideas, seu notiones rerum. Nam: 1.º Ideæ sunt quid infinitum ac proinde anima perfectius, quæ res in se finita est. 2.º Ideæ sunt quid spirituale; spiritualia autem nequeunt ab anima produci, quia ad hoc requiritur vis quædam creativa. 3.º Denique anima, priusquam produceret ideas rerum, deberet has res cognoscere; «siquidem res penitus ignota nequit esse terminus efficientiæ intellectualis, cum respectu mentis sit æqualis nihilo (1)»: ac proinde priusquam ideas produceret, jam deberet habere in se has ipsas ideas. Ergo debet eas a Deo recipere in illam per semetipsum immediate influente in ratione objecti.

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. 1.^{am} *Dist. assert.*: Ideæ sunt quid infinitum *objective*, quatenus objecta universalia per eas repræsentata exhibentur nobis ut quid *negative illimitatum*, Trans.: *entitative*, Neg.

(1) Ita P. Rothenflue, *Psychol.* n. 85, *rat. b.*)

Hinc *nego sequelam ex assertione illatam*. Ideæ namque entitative sumptæ nihil aliud sunt nisi *quædam mentis affectiones*, ac proinde in entitate sua imperfectiores anima sunt.

Ad rat. 2.^{am} *Conc. maj. et dist. min.*: Spiritualia aliqua, *substantiæ nempe spirituales*, produci ab anima nequeunt, *Conc.*: spiritualia omnia, *ipsis modificationibus spiritualibus non exclusis*, *Neg.* Ad producendas spirituales modificationes mentis non indiget anima virtute creativa; cum harum modificationum effectio non sit productio rei *ex nihilo sui et subjecti*, sed tantum *ex nihilo sui*.

Ad rat. 3.^{am} *Dist. assert.*: Anima, priusquam ideas rerum produceret, deberet res has cognoscere *per sensum*, *Conc.*; *per intellectum*, *Neg.* *Et sub data distinct. neg. cons.* Per cognitionem sensuum et phantasie sponte sua excitatur intellectus ad suos actus cognoscitivos, qui sunt naturaliter abstractivi. Unde non indiget intellectus prius rem aliquam cognoscere quam ejus ideam sibi efformet. Falso autem supponit adversarius in suo argumento rem ipsam, quæ cognoscitur, debere effici ab intellectu eam concipiente. Intellectus enim non debet producere res ipsas a se cognoscendas, sed cognitionem seu actum, quo has res cogniturus est; cum idea non sit *id in quo* tamquam in objecto cognito res cognoscitur, sed *id quo* formaliter res nota nobis fit.

500.—Obj. VI. Omnes homines vident res in una eademque immutabili veritate. Nam, ut optime ait S. Augustinus: «Si ambo videmus verum esse quod dicis, et ambo videmus verum esse quod dico, ubi quæso id videmus? Non ego in te, nec tu in me; sed ambo in ipsa, quæ supra mentes nostras est, incommutabili veritate (1)». Sed veritas hæc una, eademque pro omnibus immutabiliter perseverans, nequit alia esse nisi ipsa ratio Dei æterna, quæ semper eadem est. Ergo omnes videmus res in rationibus Dei æternis.

Resp.—*Dist. maj.*— Omnes homines vident res in una eademque immutabili veritate, *sicut in cognitio-*

(1) S. August. *Confession.* lib. 12, cap. 25.

nis principio, Conc.; sicut in cognitionis objecto, Neg. *Et concessa minore, nego consequ. sub dist. data* (1).

Ad S. Augustinum quod attinet, ipse S. Doctor de rationibus his in libro quarto de Genesi ad litteram agens, manifeste docet nos ad illarum cognitionem non nisi per viam discursus venire. Ita enim scribit: «Mens itaque humana prius hæc, quæ facta sunt, per sensus corporis experitur, eorumque notitiam pro infirmitatis humanæ modulo capit: et deinde quærit eorum causas, si quo modo possit ad eas pervenire principaliter atque incommutabiliter manentes in Verbo Dei, ac sic invisibilia ejus, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciere (2)».

501.—Obj. VII. Non solum tamquam in principio cognitionis sed etiam tamquam in objecto cognito res hujus mundi cognoscit noster intellectus in rationibus Dei æternis. Nam: 1.º Una et eadem est ratio objectiva, quam omnes consulunt, cum aliquid pro certo scire cupiunt; et ad quam omnes disputantes tamquam ad omnis veritatis normam, appellant. 2.º Omnes agnoscunt veritatem tamquam sibi superiorem, incommutabilem et æternam; quod intelligi nequit nisi de ipsis rationibus æternis objective cognitis. 3.º Omnes denique vident unam eandemque veritatem; et hoc in causa est cur certi simus reliquos eadem veritates videre, quas nos. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. 1.^{am} *Dist. assert.*: Una, eademque est ratio objectiva, quam omnes *mediate in suis effectibus* consulunt, cum aliquid pro certo scire cupiunt, Conc.: quam omnes consulunt *immediate in se ipsa*, Neg. Essentiæ finitæ in mundo existentes sunt *artefacta quædam* rationis divinæ: et has essentias conceptu mentis abstractivo cognitæ consulunt homines, cum aliquid pro certo scire cupiunt, non autem illarum fontem, Essentiam scilicet divinam.

(1) Cfr. S. Thom. *Summ. Theolog.* 1. p. q. 84, art. 5.

(2) S. August. *de Genesi ad litt.* lib. 4, cap. 32.

Ad rat. 2.^{am} *Dist. assert.*: Omnes agnoscunt tamquam sibi superiorem veritatem incommutabilem et æternam *in rerum creaturarum ordine relucens et sapientiam divinam testificantem*, Conc.: veritatem *cum ipsa divina sapientia identificatam*, subd. *tamquam mediate in suis artefactis a nobis cognitam*, Conc.: *tamquam immediate et directe in se ipsa a nobis visam*, neg. Cum nos veritatem nobis superiorem esse dicimus, ipsas Dei rationes æternas minime cogitamus; sed ad essentias reales in hoc mundo existentes et abstractivè a nobis apprehensas, quæ artefacta quædam sunt divinæ sapientiæ, nos tantum referimus.

Ad rat. 3.^{am} *Dist. assert.*: Omnes vident unam eandemque veritatem *in essentiis rerum apprehensam*, Conc.: *in ipsa ratione divinæ sapientiæ directe atque immediate visam*, Neg. Responsio patet ex proxime dictis.

ARTICULUS VI.

De systematibus scholasticis.

502.—Scholastici unanimi consensu docent omnes ideas in nobis existentes virtute abstractiva nostri intellectus fieri; sed circa modum, quo virtus hæc operatur, et circa conditiones ad ejus operationem requisitas aliqua sententiarum discrepantia inter eos cernitur; quæ quidem totidem constituunt in re, de qua agitur, systemata.

503.—Communior apud eos sententia tenet intellectum nostrum ad formandum sibi suos conceptus, quibus formaliter res cognoscit, quique *species expressæ* vocari solent, indigere motione aliqua physica in se recepta, qua ab objecto moveatur, quæque idcirco *species impressa* nuncupatur. Hinc, quoniam objecta sensibilia, etiam prout in phantasmatibus imaginationis relucunt, agere physice in intellectum nequeunt; productionem speciei impressæ *intellectui cuidam agenti* tribuunt: qui secundum aliquos ab intellectu *passibili* et speciem expressam

producente realiter differt, secundum alios vero sola distinctione virtuali ab eo discriminatur.

504.—Pater Hurtadus species quidem impressas admittit; eas tamen ab Auctore naturæ immediate per semetipsum agente et activitatem objectorum supplente produci assertit. Ita enim discurren: Hujusmodi species: 1.º debent esse effectus objecti; quia per illas tantummodo influit objectum in productionem actus cognoscitivi seu speciei expressæ. 2.º Nequeunt produci ab ipso objecto, neque immediate, neque mediate; quia tam objectum, quam phantasma per illud in imaginatione productum sunt quid materiale, actionem physicam in intellectum spirituales exercere minime valens. 3.º Non debent produci ab ipso intellectu; tum quia ad intellectum, utpote causam particularem, non pertinet supplere impotentiam objecti, quæ est etiam alia causa particularis; tum etiam quia, si species ab intellectu produceretur, jam actus cognoscitivus solius intellectus opus foret; et sic non esset verum dicere *ab intellectu et objecto notitiam gigni*. 4.º Debent denique produci ab Auctore naturæ; quia ad ipsum spectat supplere activitatem causarum naturalium, quando illæ sunt incapaces producendi suos effectus immediate per se ipsas. Unde concludit admittendum quidem esse intellectum agentem; hujus tamen munus non esse producere speciem impressam, sed tantum expressam; ac proinde intellectum passibilem re ipsa non esse nisi ipsum intellectum agentem, quatenus recipere valent speciem expressam a se productam (1).

505.—Durandus (2), Gotfredus (3), Henricus Gandavensis (4), Baconus (5) et alii (6) rejiciunt species impressas tamquam inutiles et superfluas; ajuntque intellectum sufficienter determinari per phantasmata ad suos actus cognoscitivos eliciendos. Unde ideas universales virtute naturali intellectus effici existimant per phantasmata imaginationis ad agendum determinati.

(1) Cfr. Hurtado, *Cursus philos.*, de anima, disp, 5, sect. 1.

(2) Durandus, in 2 *Sent.* dist, 3, q. 6.

(3) Gotfredus, *Quodlib.* 9, q. 19; et *Quodlib.* 13, q. 3.

(4) Henricus, *Quodlib.* 4, q. 7, 8, et 21; et *Quodlib.* 5, q. 14.

(5) Baconus, *Quæst.* 2, Prologi.

(6) Cfr. Conimbricenses, in 3 *lib. Aristot. de anima*, cap. 5, q. 3, art. 1.

506.—Denique inter ipsos qui species impressas statuunt atque ab intellectu agente fieri dicunt, aliqua diversitas est. Nam plures ex illis censent in productionem speciei impressæ concurrere, non solum intellectum, sed ipsum etiam phantasma per modum causæ instrumentalis: quia hoc requiritur, ut notitia intellectus, seu actus ejus cognoscitivus dici possit genitus *ab objecto simul et intellectu*. At vero Suarezius cum Tellez, Compton et aliis opinatur causam efficientem totalem speciei impressæ esse solum intellectum agentem, phantasma vero non esse nisi conditionem et quasi causam exemplarem; quia phantasma, utpote quid materiale, non potest habere vim naturalem ad producendam rem spiritualem, qualis est species intelligibilis impressa, ne per modum quidem causæ instrumentalis (1).

507.—Hæc sunt diversa Scholasticorum systemata circa originem idearum: ex quibus patet nihil certum apud illos remansisse in hac difficili quæstione nisi solam formationem harum idearum per vim abstractivam intellectus; immeritoque proinde quasi valedicentes Scholæ a quibusdam depingi eos omnes, qui species intelligibiles impressas tamquam saperfluas rejiciunt. Quicumque enim per vim intellectus abstractivam idearum originem explicat, vere intra Scholam manet, et intellectum tam agentem quam passibilem cum Scholasticis admittit. Sed jam ad declarationem nostræ sententiæ veniamus.

PROPOSITIO PRIMA.

Idearum humanarum origo naturali intellectus abstractioni adscribenda est.

508.—*Demonst.*—Objectum proprium intellectus nostri, ut ex supra demonstratis constat, sunt essentiæ rerum sensibilibus a conditionibus materialibus et individuantibus abstractæ (141). Atqui unaquæque potentia sponte sua in proprium objectum tendit, præscindendo ab omnibus aliis qualitibus, quæ rei per eam attactæ de facto competunt: nam nec visus in *pomo* ex gr. percipit nisi colorem figuratum, nec tactus nisi resisten-

(1) Cfr. Suarez, *de anima*, lib. 4, cap. 2, n. 7 et seqq.

tiam extensam, nec olfactus nisi odorem, nec gustus nisi saporem, nec auditus nisi sonum, quia hæc sunt harum potentiarum objecta. Ergo-intellectus quoque sponte suæ naturæ ad essentias rerum sensibilium abstracte percipiendas fertur. Porro inter has ideas aliquæ sunt prorsus generales et indeterminæ, ut ideæ *entis, unius, veri, pulchri*, etc. quorum objecta de quibuslibet entium classibus prædicari possunt; aliæ sunt magis determinatæ et specificæ, quæ circa diversas entium species versantur: sed omnes sunt magis vel minus abstractæ, prout singularum consideratio manifestat; et illarum formatio processui mentis nostræ evolutivo debetur. Ergo....

PROPOSITIO SECUNDA.

Admittendus est intellectus agens, qui faciat res materiales actu intelligibiles.

509.—*Demonst.*—Naturæ materiales, quas intelligimus, in se ipsis non sunt intelligibiles actu: existunt enim in materia, ac proinde ex se non habent vim movendi ad cognitionem spiritualem et universalem, sed tantum ad cognitionem materialem et particularem. Atqui nihil reducitur de potentia in actum nisi per aliquid quod est in actu. Ergo «oportet ponere aliquam virtutem ex parte intellectus, quæ faciat intelligibilia in actu per abstractionem specierum a conditionibus materialibus (1)».

PROPOSITIO TERTIA.

Admittendæ sunt species intelligibiles ab objectis per modum causæ instrumentariæ agentibus physice productæ.

510.—*Prob. 1.^a p.—1.^o* Sine physico influxu objecti in actum intellectus cognoscitivum explicari nequit illud Sancti Augustini a Philosophis communiter receptum: *Ab objecto simul et potentia paritur notitia*. Ergo objectum physice in cognitionem

(1) Cfr. S. Thom., *Summ. Theol.* 1. p. 79 art. 3.

intellectus influit; quæ proinde est quædam species intelligibilis physice ab eo causata. 2.º Sine influxu prædicto actus intellectus cognoscitivus non potest esse *imago objecti*. Sed omnes Philosophi fatentur actum hunc esse objecti imaginem, quamvis intentionalem et metaphoricam. Ergo.: *Prob. maj.* Ratio imaginis originem a prototypo secum fert, ut cum S. Augustino docet S. Thomas (1). Atqui sine influxu physico objecti in actum cognoscitivum non potest hic ab illo originem trahere: quoniam intellectus ad concipiendum suum actum non inspicit prius objectum; sed e contra eatenus inspicit objectum, quatenus actum suum cognoscitivum efformat; ac proinde objectum non aliter potest causalitatem exemplarem in actum cognoscitivum exercere quam physice in ejus productionem concurrente. Ergo... 3.º Phantasma, per quod objectum in actum cognoscitivum intellectus influit, manifesta causalitatis physicæ indicia præbet. Nam: *a)* debet esse præsens pro priori ad prædictum actum: *b)* proportionem cum eo habet in esse imaginis et repræsentationis objecti: *c)* est denique quodammodo mensura perfectionis illius; quo enim vividius est phantasma, eo perfectior evadit cognitio intellectus. Ergo vera ei causalitas physica adscribenda est. 4.º Denique, si intellectus solus sine concursu physico phantasie produceret species rerum intelligibiles; ex intrinseca natura sua haberet in se similitudines omnium rerum, quas naturaliter cognoscere potest; quæ quidem innumerabiles sunt. Sed habere ex se rerum similitudines solius Essentiæ divinæ proprium est. Ergo... (2).

511.—*Prob. 2.^a p.*—1.º Patet ex dictis in præcedente propositione. In ea enim ostendimus objectum materiale ex se non habere virtutem ad producendam repræsentationem sui spirituales in intellectu; sed ad hoc opus esse virtute alia altiore, qualis est vis abstractiva intellectus agentis: ex quo manifeste sequitur objectum materiale non posse physice influere in cognitionem intellectualem nisi per modum causæ instrumentalis. 2.º Id confirmatur ex comparatione utriusque ordinis, materialis et spiritualis, in quibus respective inveniuntur objectum

(1) Id. *ibid.* q. 35, art. 1.

(2) Cfr. Losada, *de anima*, disp. 6., cap. 3, nn. 93-94.

et cognitio intellectus. Nam hæc pertinet ad ordinem spiritua-
lem; illud vero, etiam prout relucet in phantasmate imagina-
tionis, jacet in ordine materiali, qui est longe spirituali infe-
rior. Atqui causa ordinis inferioris nequit physice producere
effectus ordinis altioris nisi ut instrumentum. Ergo objectum
non nisi instrumentaliter influere potest in cognitionem intel-
lectualem, et causa ejus principalis debet esse ipse intellectus.
Ideo etiam in cognitione sensitiva objectum solum instrumen-
tally agere dicendum est: quia ipsum de se, utpote pure ma-
teriale et mortuum, non habet virtutem nisi ad producendos
actus mere mechanicos et mortuos; et cognitiones sensitivas
non causat nisi quatenus virtuti ipsi sensitivæ conjunctum et
ad ejus altiorem ordinem elevatum.

PROPOSITIO QUARTA.

*Species intelligibilis per phantasma ab objecto
causata non est quid prævium actui cognoscitivo, sed ipsa
cognitio intellectualis ab intellectu simul et phantasmate
immediate producta.*

512.—*Prænot.*—Rejicimus in hac thesi species intelligibiles
impressas in sensu Scholasticorum intellectas: putamus enim
cum Durando, Henrico, et aliis intellectum sufficienter deter-
minari ad suos actus per phantasmata. In alio vero sensu eas
lubenter amplectimur et tuemur; quatenus scilicet phantasma
imaginationis, prout ab ipsa animæ substantia principaliter
procedens et in ea etiam receptum, species intelligibilis ab ob-
jecto in intellectum impressa lato quodam sensu dici potest;
ad eum modum quo dicitur voluntas intelligere, quia pars
illius principalis est substantia animæ, sicut et ipsius intellectus.

513.—*Prob.*—1.º Intellectus ad producendum suum actum
cognoscitivum non indiget prius aliquid in se recipere, sed
sufficit ei præsentia phantasmatis, per quod ad agendum de-
terminetur. Nam: a) Sufficit hæc præsentia ex confesione ad-
versariorum ad hoc, ut intellectus agens determinetur ad agen-
dum et producendum simul cum phantasmate speciem impres-
sam. Ergo pari ratione sufficiet, ut intellectus patiens causet

simul cum eodem phantasmate speciem expressam, seu actum cognoscitivum, quem in se ipso recipit et patitur. Est enim in hoc perfecta paritas; cum intellectus passibilis non sit mere passivus, sed vere activus; et passibilis eatenus dicatur, quatenus actum cognoscendi a se productum recipit ac patitur: unde quidquid contra talem modum agendi intellectus passibilis dicant adversarii, hoc totum contra modum agendi intellectus agentis ab ipsis admissum retorqueri facillime poterit. Ergo...

b) Propter radicationem omnium potentiarum in eadem anima sufficit motio moralis voluntatis in actu volitionis imbibita, ut reliquæ potentiæ operativæ ad suos actus naturales determinantur: item, propter prædictam radicationem, sufficit motio moralis objecti in cognitione intellectuali relucentis, ut voluntas in suos proprios actus erumpere valeat. Ergo propter eandem radicationem sufficere dicenda erit motio moralis phantasmatis, ut virtus activa intellectus ad suos peculiare conceptus determinetur; proprius enim et proximus motor intellectus phantasia est, non minus quam intellectus est talis respectu voluntatis et voluntas respectu ceterarum potentiarum. 2.º Etiam si supponamus intellectum indigere motione aliqua physica ad producendas suas cognitiones, nulla opus est ad hanc motionem specie intelligibili per intellectum agentem producta: nam intellectus passibilis physice movetur secundum præcipuam partem sui, substantiam nempe animæ, per phantasma in ea receptum. Unde sicut dicimus voluntatem secundum præcipuam partem sui vere intelligere objectum quod appetit, quia substantia animæ est pars principalis tam intellectus quam voluntatis; ita propter eandem rationem dicere oportet intellectum secundum præcipuam partem sui vere res materiales imaginari et phantasmatis imaginacionis formaliter moveri. Hoc verò proposito, jam nulla alia motio physica ex parte intellectus ad eliciendos actus cognoscitivos necessaria est: quia phantasia et intelligentia continuantur per præcipuam ipsarum partem, quæ est utrique communis; ac proinde substantia animæ, quatenus formaliter mota per phantasma, physice determinatur ad eliciendum actum intellectualem una cum intellectu. Ergo...

3.º Denique thesis nostra confirmatur auctoritate Aristotelis, qui in libri tertii *de anima* capite quarto (*text. 14*) clare dicit

intellectum passibilem non esse nisi in pura potentia et tamquam tabulam rasam respectu intelligibilium, *donec ea intelligat*, ac per solam intellectionem fieri ipsa intelligibilia in actu (1). Hoc autem in nostra sola sententia verum esse potest: nam in contraria adversariorum intellectus passibilis fit actu ipsa intelligibilia ante actionem intellectivam et per solam receptionem speciei impressæ.—Nec vero quemquam moveat, quod postea capite sequente distinguat intellectum agentem a passibili et utriusque proprietates referat. Nam hoc facit Aristoteles, ut munera diversa unius et ejusdem potentiæ enumeret; quæ sunt reddere intelligibiles res materiales, producendo cognitionem earum abstractivam, et recipere cognitionem sic abstractam a phantasmatibus. Idcirco intellectum passibilem pure passivum depingit et cum corpore corruptibilem; quia intellectus noster, quatenus simpliciter receptivus cognitionis abstractivæ ab ipso simul cum phantasmate productæ, in hoc tantum statu unionis esse potest. Ergo...

514.—COROLLARIUM.—*Ergo intellectus agens realiter a passibili non distinguitur*. Patet consecutio: nam intellectus dicitur *agens*, quatenus actionem cognoscitivam producit; *patiens* vero, quatenus hanc ipsam actionem in se recipit: hæc autem duo munera ad unam et eandem potentiam pertinent. Notandum vero munus agendi perfectius esse munere patiendi; quia, ut optime notat D. Thomas cum Aristotele, agens nobilius est patiente.

PROPOSITIO QUINTA.

Præter species intelligibiles ab objecto simul cum intelligentia productas, aliæ etiam memorativæ admitti debent ab actibus cognoscitivis in animo relictæ.

515.—*Prænot.*—Avicena species has memorativas negavit, dicens species intelligibiles non manere in nostro intellectu,

(1) «Διὸ διήρηται πρότερον ὅτι δυνάμει πως ἐστὶ τὰ νοητὰ ὁ νοῦς· ἀλλ' ἐντελλεχειᾶ οὐδὲν, πρὶν ἂν μὴ νοῆ. δεῖ δὲ οὕτως, ὡσπερ ἐν γραμματείῳ ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελλεχειᾶ γεγραμμένον. (Aristot., *de anima*, lib. 3, cap. 4.)»

nisi dum res actu intelligit. Sed ejus sententia ut manifeste falsa rejicienda est.

516.—*Demonst.*—1.° Facultas intellectiva non debet esse minus potens ad retinendas species adquisitas quam sensitiva, cum sit ea longe perfectior. Sed facultas sensitiva retinet in se species objectorum per sensationem adquisitas; imaginatio enim atque æstiativa brutorum hoc aperte manifestant. Ergo... 2.° Experientia ostendit repetitione actuum intellectualium quandam facilitatem adquiri ad cogitandum circa illorum objecta; ac proinde aliquid remanere in intellectu post simplicem cogitationem objectorum, a quo illa facilitas proveniat. Sed quod sic remanet, non aliud videtur esse posse nisi species objecti ab ejus cogitatione relicta. Ergo... 3.° Negatis speciebus memorativis, oporteret negare ipsam memoriam intellectivam; quia hæc in illis conservandis atque in mentem revocandis versatur; unde intellectus *locus specierum* vocatur ab Aristotele (1). Sed memoria intellectiva nullo modo negari potest. Ergo...

Solvuntur difficultates.

517.—*Contra* 1.^{am} *prop.*—Obj. I. Idearum origo naturali intellectus abstractioni adscribi nequit. Nam: 1.° Hoc esset incidere in sensismum Condillacii, docendo sensationes ejus transformatas. 2.° Cognitio quidditatum seu essentialium non abstractioni spontaneæ, sed rationis discursui debetur. 3.° A rebus materialibus nequeunt abstrahi quidditates immateriales. 4.° In rebus materialibus essentia identificatur cum individuis. Ergo intellectus nequit eam ab illorum singularitate abstrahere. Ergo...

(1) Aristot., *de anima*, lib. 3, cap. 4, text. 6.—Cfr. S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 79, art. 6.; et 2 *cont. gent.* cap. 74.

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. 1.^{am} *Neg. assert.* Multi quidem hoc sæculo Scholasticos inter Sensistas reposuerunt, agendo de origine idearum; sed hoc ex ignorantia doctrinæ ab eis traditæ natum est. Et sane, toto cœlo distat abstractio spontanea Scholasticorum a Sensistarum abstractione: hæc enim elementa sensationum simpliciter separat et diverso modo disponit; illa vero nihil hujusmodi facit, sed in objectis per sensationes repræsentatis rationes quasdam a circumstantiis individuantiis abstractas apprehendit, ad quas sensus nullo modo pertingunt. Unde Scholastici axioma illud tantopere a Sensistis decantatum: *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*, prout sonat, ut falsum rejiciunt: illudque non aliter posse admitti ajunt nisi dicendo, in sensu esse *aliquo modo* illa sola objecta, quæ *alio modo altiori et spirituali*, percipiuntur ab intellectu *per species proprias*. Nam præter hæc objecta sunt alia *positive spiritualia*, ut *Deus* et *spiritus*, quæ *per species alienas* cognoscuntur ab intellectu; suntque in illo, quin prius fuerint in sensu.

Ad rat. 2.^{am} *Dist. assert.* Cognitio *aliquarum* quidditatum rationis discursui debetur, Conc.: *omnium*, Neg. Quidditates maxime indeterminatæ, quales sunt rationes *entis, unius, veri, boni*, etc. spontanea mentis abstractione cognoscuntur: ex illis autem ad alias cognitiones perfectiores et determinatiores ope discursus procedimus, et ita novas quidditates detegimus.

Ad rat. 3.^{am} *Dist. assert.* A rebus materialibus nequeunt abstrahi quidditates *positive* immateriales, Conc.: *negative* immateriales, Neg. Cognitiones quidditatum *positive* immaterialium, quales sunt ideæ *spiritus* et *Dei*, per discursum rationis adquiruntur. Cognitiones vero quidditatum *negative* immaterialium, quæ a materia præscindunt et tam de corporibus quam de spiritibus prædicari possunt, ut notiones *entis, unius, veri, boni*, etc. ope abstractionis spontanæ optime comparari valent: nam quidditates eæ vere in rebus materialibus inveniuntur, quamvis alio modo et sine ea abstractione, quam habent in intellectu.

Ad rat. 4.^{am} *Conc. ant. et dist. cons.*: Intellectus nequit essentiam ab individuorum singularitate abs-

trahere, *asserendo hanc esse ab illa distinctam*, Trans.: *essentiam simpliciter cogitando, non cogitata singularitate*, Neg. Intellectus nativam vim habet, ut possit in objecto unam formalitatem attingere, nihil de alia cogitando, quæ una eademque cum illa est a parte rei; ut continua experientia docet. Ergo bene poterit in objecto singulari per phantasma iginationis representato apprehendere essentiam, non cogitata ejus singularitate.

518.—*Contra prop.* 3.^{am}—Obj. II. Phantasma ne ut causa quidem instrumentalis agere in intellectum potest. Nam: 1.^o Instrumentum inferioris ordinis nequit naturaliter attingere effectum perfectioris ordinis, ac tam superioris, quam est natura spiritualis cum materiali collata. 2.^o Phantasma ex sua unione ad intellectum agentem nullam novam qualitatem acquirit: ergo per eam non redditur aptum ad agendum ullo modo in intellectu passibili. 3.^o Naturæ ordo postulat, ut ad productionem rei cujusque destinetur virtus ejusdem vel superioris ordinis cum re producenda: ergo supra ordinem naturæ erit rem materialem assumi ad afficiendam spiritualem. 4.^o Denique, multo difficilius est, cæteris paribus, animam efficere spiritualem effectum per instrumentum materiale, quam sine illo: naturæ autem dispositio postulat faciliorem agendi modum. Ergo... (Ita Suarez, *de anima*, lib. 4, cap. 2, n. 7).

Resp.—*Neg. assert.*—Difficile quidem intelligitur quomodo phantasma, etiam per modum causæ instrumentalis, influere physice valeat ad effectum rei spiritualis: sed tamen hanc efficientiam asserere oportet propter rationes in probatione theseos allatas.

At rat. 1.^{am} *Neg. assert.* Calor ignis ex se quidem non sufficit ad complendam actionem nutritionis, quia hæc altioris ordinis est: elevatus autem per virtutem nutritivam ad illam efficiendam concurrat, ut docet D. Thomas (1). Idem er-

(1) S. Thom., *Quodlib.* 8, art. 3.

go accidere poterit phantasmati imaginationis respectu speciei intellectualis.

Ad rat. 2.^{am} *Conc. ant. et neg. cons.* Nec etiam calor ignis acquirit novam aliquam qualitatem ex unione ad virtutem vegetativam, et tamen potest cum illa concurrere instrumentaliter ad actiones vitæ vegetativæ. Porro proprium intellectus agentis est phantasmata illustrare eisque robur conferre ad producendam in intellectu passibili speciem intelligibilem, ut cum Aristotele et Sancto Thoma docent communiter Scholastici. Jam vero, ut optime observant Conimbricenses, effectiva est; «non quasi intellectus agens aliquid luminis phantasmatibus imprimat, sed quia tamquam externa lux radii sui consortio active elevat phantasmata ad producendam speciem intelligibilem (1)».

Ad rat. 3.^{am} *Dist. ant.*: Naturæ ordo postulat, ut ad productionem rei cujusque destinetur virtus ejusdem vel superioris ordinis cum re producenda, *tamquam causa principalis*, *Conc.*: *tamquam causa unica*, *subd.*: *aliquando*, *trans.*: *semper*, *Neg.* Aliquando potest contingere ut naturæ ordo postulet, præter influxum causæ principalis, aliū causæ alicujus instrumentalis, ut accidit hic ob rationes dictas.

Ad rat. 4.^{am} *Dist. ant.*: Multo difficilius est, etc.; *spectata sola spiritualitate effectus*, *Conc.*: *spectata, non solum spiritualitate, sed etiam natura repræsentativa effectus*, *Neg.* In productione speciei intelligibilis debemus attendere non modo ad ejus spiritualitatem, sed ad alias etiam ejusdem proprietates; quales sunt *esse imaginem objecti et illius similitudinem*, quæ non possunt ei tribui nisi ab ipso objecto per suam actionem physicam.

519.—*Contra prop. 4.^{am}*—Obj. III. Species intelligibilis ab objecto simul cum intellectu agente producta non est actus ipse cognoscitivus, sed entitas quædam qua intellectus passibilis determinatur ad producendam suam cognitionem. Nam: 1.^o Intellectus passibilis est potentia quædam passiva: ergo, ut agat, debet prius in se recipere actionem objecti. 2.^o Intellectus

(1) Conimbric., in 3 lib: *Aristot. de anima*, cap. 5, q. 2, art. 1.

ex se indifferens est ad intelligendum hoc vel illud; ac proinde indiget determinatione extrinseca, ut de facto rem aliquam determinatam cognoscat. Atqui determinatio hæc nequit alia esse nisi species impressa in se recepta. Ergo... 3.^o Phantasma nequit agere immediate in cognitionem intellectus; quia ad hoc foret ei necessaria virtus, non instrumentalis, sed principalis. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. 1.^{am} *Dist. assert.*: Intellectus passibilis est potentia quædam passiva, *quatenus recipit in se actionem objecti*, *Conc.*; *quatenus ad eliciendam suam actionem cognoscitivam indiget physice præmoveri ab objecto*, *Neg.* Intellectus est vis ex se determinata ad intelligendum, non minus quam voluntas ad volendum: proinde, ut aliquid de facto cognoscat, non indiget physica præmotione objecti; sed sufficit simplex determinatio extrinsecus ei immissa ad cognitionem suam simul cum objecto producendam.

Ad rat. 2.^{am} *Conc. ant. et neg. conseq.* Simplex determinatio ad agendum sine præmotione etiam physica haberi potest. Ad rem præclare P. Losada, licet speciei impressæ defensor: «Ex munere determinandi non requiritur speciei concursus effectivus in cognitionem; qui tamen communiter asseritur. Non, inquam, requiritur; quia munus determinandi convenit meræ conditioni, quæ non physice influat; ut patet in sensatione interna respectu appetitus, in approximatione locali agentis physici, et in excitativo speciei memorativæ. Imo nec requiritur aliquid potentiæ inhærens: nam ignis, in se immotus, determinatur ad agendum per applicationem passi; et appetitus per cognitionem quam in se non recipit, si potentiæ distinguantur adæquate ab anima, et inter se (1)».

Ad rat. 3.^{am} *Neg. assert. cum ejus probatione.* Phantasma non aliter influere potest in productionem speciei intelligibilis quam illuminatum ab intellectu. Ergo, sive species hæc sit expressa, ut nobis videtur; sive impressa, ut adversarii nostri contendunt; semper phantasma in ejus productionem concurrat, ut mera causa instrumentalis.

(1) Losada, *de anima*, disp. 6, cap. 2, n. 16.

INDEX.

	Págs.
CAPUT PRIMUM.— <i>De existentia animæ humanæ.</i>	4
CAPUT. II.— <i>De animæ humanæ substantialitate.</i>	5
CAPUT. III.— <i>De animæ humanæ activitate.</i>	14
Articulus primus.— <i>De diversis animæ potentiis.</i>	14
Art. II.— <i>De potentiis animæ cum ejus substantia comparatis.</i>	16
§ I.— <i>Qua ratione potentiæ ab animæ substantia distinguantur.</i>	16
§ II.— <i>Quo pacto potentiæ ex animæ substantia oriantur.</i>	24
§ III.— <i>Quomodo anima cum suis potentiis operatur.</i>	27
Art. III.— <i>De potentiis animæ naturalibus, seu vegetativis.</i>	30
Art. IV.— <i>De potentiis animæ sensitivis.</i>	34
§ I.— <i>Quænam sit sensationis natura.</i>	34
QUÆRES:— <i>An anima a corpore separata objecta materialia divinitus sentire valeat.</i>	46
§ II.— <i>Quænam sit natura sensibilitatis externæ.</i>	47
§ III.— <i>Quænam sit natura sensibilitatis internæ.</i>	61
Art. V.— <i>De potentiis animæ intellectivis.</i>	76
§ I.— <i>Quibus argumentis pateat falsitas sensismi.</i>	76
QUÆRES:— <i>An intellectus non solum ad primo objectum concipiendum, sed etiam ad utendum specie illius jam acquisita, indigeat operatione phantasie.</i>	84
§ II.— <i>Quænam sit intellectus natura, quodnam ejus objectum et quales ejus actus.</i>	86

§	III.—Quænam sit rationis natura, quodnam ejus objectum et quales ejus actus.	118
§	IV.—Natura, objectum et actus memoriæ intel- lectivæ.. . . .	124
§	V.—Natura, objectum et actus conscientiæ.. . . .	128
Art.	VI.—De potentiis animæ appetitivis.	136
§	I.—In quo reponenda sit natura appetus innati.	136
§	II.—Natura, objectum et actus appetitus sen- sitivi.	140
§	III.—Natura, objectum et actus appetitus ratio- nalis.	149
Art.	VII.—De potentiis animæ motricibus.	167
CAPUT.	IV.— <i>De animæ humanæ simplicitate, spiritua- litate et immortalitate.</i>	172
Articulus	<i>primus.</i> —De animæ simplicitate.. . . .	172
Art.	II.—De animæ spiritualitate.. . . .	178
Art.	III.—De animæ immortalitate.	183
Art.	IV.—De statu animæ humanæ post præsentem vitam.	200
CAPUT.	V.— <i>De essentia metaphysica animæ humanæ.</i> ..	206
CAPUT.	VI.— <i>De unione animæ humanæ cum corpore.</i> . .	208
Articulus	<i>primus.</i> —De unione in genere ac de diversis ejus classibus.	209
Art.	II.—De natura unionis, qua anima cum corpore copulatur.	210
Art.	III.—De falsis systematibus ad hanc unionem spectantibus.	213
Art.	IV.—Statuitur vera sententia circa unionem ani- mæ substantialem.	221
Art.	V.—De unitate animæ humanæ.	226
§	I.—Utrum plures animæ in homine admitti possint.	226
§	II.—An præter animam sit in homine aliqua alia forma substantialis.	230
Art.	VI.—De sede animæ humanæ.	237
CAPUT.	VII.— <i>De mutuo influxu corporis et animæ.</i> . .	240

<i>Articulus primus.</i> —De influxu animæ in corpus.	240
<i>Art. II.</i> —De influxu corporis in animam.	241
QUÆRES I. ^o — <i>An diversa capacitas perfectionum naturalium, quæ in hominibus cernitur, non solum ex corpore sed ex ipsis etiam animabus oriatur.</i>	242
QUÆRES 2. ^o :— <i>Quid de systematibus anguli facialis, phrenologico et temperamentorum dicere oporteat.</i>	242
CAPUT. VIII.— <i>De origine tum animæ, tum etiam compositi humani.</i>	245
<i>Articulus primus.</i> —De origine animæ humanæ.	245
<i>Art. II.</i> —De hominis, humanique generis origine.	250
CAPUT. IX.— <i>De animæ, humanique generis antiquitate.</i>	256
<i>Articulus primus.</i> —De instanti quo efficitur anima humana.	256
<i>Art. II.</i> —De humani generis antiquitate.	260
CAPUT. X.— <i>De humanarum cognitionum origine.</i>	263
<i>Articulus primus.</i> —De systematibus empiricis.	263
<i>Art. II.</i> —De systematibus idearum innatarum.	267
<i>Art. III.</i> —De systematibus Philosophiæ Transcendentalis.	274
<i>Art. IV.</i> —De systematibus Traditionalium exterioristicis.	279
<i>Art. V.</i> —De systematibus ontologicis.	288
<i>Art. VI.</i> —De systematibus scholasticis.	299

